Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Friedrich Hildebrand

Cornelii Nepotis Vitae Excellentium Imperatorum, Notis quibusdam & Sententiis Moralibus Illustratae : adiunctis Argumentis singulorum Capitum vario versu comprehensis. Una cum Indice Vocabulorum Geographicorum breviter expositorum

Lipsiae: Frommanus, 1666

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn778716805

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn778716805/phys_0001
DFG

XX. XIV. 17.

Cd_6890 1.2.

C II.e. 3453 1.2.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn778716805/phys_0002
DFG


Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn778716805/phys_0003
DFG


20.a.16.
92
Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn778716805/phys_0004
DFG


Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn778716805/phys_0005
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn778716805/phys_0006
DFG

CORNELII NEPOTIS
Vitæ
EXCELLENTIUM
IMPERATORUM,
Notis qvibusdam & Sententiis
Moralibus Illustratæ,
adjunctis
Argumentis singulorum Capitum
vario versu comprehensis.
Unà cum
Indice Vocabulorum Geographicorum breviter expositorum
operâ studioq;
M. FRIDERICI HILDEBRANDI,
P. Cæs. Sch. North. Rectoris.
Cum Gratia & Privilegio Elector. Saxon.

LIPSIÆ

Impensis GEORGII HEINR. FROMMANNI.
Anno M DC LXVI.



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn778716805/phys_0008
DFG

Magnifico, Nobilissimo, Consultissimo atq; Excellentissimo

VIRO,

DN. JOH. ERNESTO NORICO,

JCto celeberrimo, Consiliario Saxon. Martisburgensi gravissimo,

Patrono & Amico suo plurimùm honorando

C. NEPOTEM

Scriptorem, Doctorum omnium Suffragio, tersissimum, Notis qvibusdam audactum,

Officii sui monumentum perpetuum positurus, lubens meritoq;

Dicat & consecrat

M. FRIDERICUS HILDEBRANDUS, Sch. North. Rector.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn778716805/phys_0009
DFG

Cùm mola salsa litare dicantur, qvi thura non habent, Magnifice ac Nobilissime Vir, Patrone & Amice plurimùm honorande, neqve tàm plenas, qvàm puras DEUS manus castamq; mentem respiciat, ad aram Excellentiæ Tuæ, qvam Virtus sua lateri qvasi Deorum, uti Reges Principesq; terrarum Deos Sacra appellitat Pagina, junxit, hanc qvalemcunq; opellam defero, tanqvam far pium & salientem micam, cum mascula thura aliaq; donaria, & Virtutibus

bus tuis paria, & Meritis debita, cùm Fortuna mihi iniqvior, tùm æqvo parcior Ingenii Vena denegârit, optimeq; gnarus Humanitatis tuæ, clarisſimis mihi argumentis jamdudum ſpectatæ, animiq; in me ſupra meritum meum benigni facilisqve, nullus dubito Te, qvicqvid à manu mea, ſi minus erudita, amica tamen & candida profectum fuerit, ſerena eſſe Fronte Vultuq; accepturum, nec prohibiturum, ſi Caput tuum Clariſſimum, tot Lauris, magna Virtute ac Doctrina qvæſitis, cinctum vinctumqve, qvod reliqvas inter Patriæ Stel-

las nitidisſimas, Populares puto doctiſſimos, emicat, velut inter ignes Luna minores, Hederæ qvodam ramuſculo coronem & Honores tibi Ampliſſimos, fortè cum onere ſatis oneroſo conjunctos, qvos haut ita pridem Magni tui Principis, Domini noſtri Clementisſimi Gratia graviſſimo Tibi judicio contulit, gratulatus, Scripto hoc, Amicorum qvorundam impulſu ſvaſuq; Bono Diſcentium conſecrato, teſtarer, in iis, qvi lætiſſimis rerum tuarum ſucceſſibus famæq; latisſimè diffuſæ favent, eſſe me ac fore, dum ſub hoc cœlo ac ſole

ſpira-

ſpirare propitia mihi Fata conceſſerint ; & qvidem , cujus potius Nomen huic Scriptori, qvà verba, Elegantisſimo, qvà res, Gravisſimo, ex qvo, tanqvam limpidisſimo fonte omni ævo ingenti cum fructu melioris notæ Adoleſcentia , cùm Latinitatis Veneres venuſtisſimas, tùm utilisſima morum ac Prudentiæ Præcepta, Virtutum exemplis animata pulcherrimis, hauſit & hauſtura eſt, cujus , inqvam , Nomen potius præſcribam his tabellis, qvàm ejus Viri, qvi Humanitatis hæc ſtudia à puero mirificè dilexit & magna cum laude, nec ſine

noſtro olim Docentium applauſu excoluit, eadem etiamnum magni æſtimat, in deliciis habet & animum cura laqveata circum tecta volanti fatigatum, hoc qvaſi nectare & ambroſia, qvod ſcimus, recreat reficitq́; , qvemq́; , qvod caput eſt, ex animo mihi velle measq́ve , ut Poëtæ ad Nepotem hunc noſtrum verbis utar, eſſe aliqvid putare nugas, tàm certum mihi eſt, qvàm qvod certisſimum. Magnoperè à Magnifica Tua Excellentia contendo, ut tenue hoc bonæ gratæq́; mentis argumentum benigniore adſpectu locoq́; non indi-

indigno dignetur meumq; nomen, non tàm Cultorum, qvàm Amicorum, qvæ ipsius est Humanitas nunqvam satis laudata, Albo insertum, ex eodem tolli eradive ante non patiatur, qvàm Bonis Boni benè velle desinant. Sed calamos revoco, cùm Occupatis nihil esse molestius sciam, qvàm odiosè longos sermones texere &, cum Poëta ut loqvar, ampullari. Vale, Vir Magnifice, qvemq; bono cum DEO feliciter sumus annum auspicati & qvàm plurimos propitio Cœlo subsecuturos felicissimè exige, omni Bonorum cumulo palàm beatus.

Va-

Vale atqve Ordini Docentium porrò, qvod facis, fave. Scrib. Northuſ. poſtrid. Cal. Februar. Anno 1666.

Erudi-

Erudito ac Benevolo Lectori S. P.

BOnam mercem emtorem facilè reperire, vel in abstruso sitam, Amice Lector, non Plautina tantùm auctoritate, qvæ apud Eruditos supra vulgus non nulla est, astruitur, sed Experientia etiam, stultorum æquè ac Prudentum Magistra, confirmatur; jam verò nullam vel Arabs, vel Indus, Arctöis terris negatam, nobis mercem impertitur, qvæ cum Libello bonæ notæ componi, ne dicam huic anteponi, mereatur, siqvidem illa vel oculos pascit, vel palati nariumve desideria explet, aut corporis adjicit ornamentis; felicis autem Ingenii Scriptum alit animum, illam nostri partem meliorem, imò divinæ auræ particulam, laudabilem discendi sitim accendit lenitq́; ac Scientiam, illustre illud Decus, nec gemmis, neq;

A pur-

purpura venale, nec auro, absq; qvo Ingeniis ad altiora, qvàm plebis tapiunt quisquiliæ, natis, vita haut vitalis, ut ita loqvamur, fuerit, tradit atq; adauget. Qvare eo labore, qvo tibi Nepotem hunc noſtrum, tot ſeculis florentem ac Doctiſſimorum Virorum calculis jamdudum approbatum commendemus, rectè ſuperſedebimus, ne vino tàm vendibili hederam ſuſpendendo, lucemq; clariſſimo huic ſoli fœnerando, otio vel tuo, vel noſtro, qvo tam brevibus vita ſpaciis circumſcripta, ſuarum rerum ſatagentes neutiqvam abundant, abutas mur. Docentium ſuffragio Theſaurum hîc habes puriſimæ Latinitatis, qvam ſolidæ Studioſi Eruditionis, qvi lupino & æra nôrunt diſcernere, eximiè diligunt unicéq; ſectantur; neq; eſt, qvod fabuloſam illam Hippocrenem in Muſarum montibus, adeas, liqvore labra cabalino proluiturus, cum liqvidiſſima Romanæ flumina Eloqventiæ ex hoc fonte pleno manent alveo, unde ſcitu res dignas rebusq; congruam phraſin hauriretibi, nec face, nec viatico inſtructo, liceat;

ceat; Editio ipsa, ad optima exacta Exemplaria, à mendis qvantùm per humanam licet industriam, pura est, typus elegans, apta commodaq; forma, ita ut otiosè ambulanti comes ire qveat non gravis sarcina, quasq; inseruimus notas, ab Ordine Discentium (Magistro enim interprete luculenta, qvæ extant qvæq; cum fructu evolvuntur maximo, Commentaria indicesq; Gebhardi, Boeckleri, Bosii, Kirchmaieri aliorumq; clarissimorum Virorum, qvorum nos opera interdum usos esse adjutosq; plurimùm ultrò fatemur, haut quaquam deesse scimus) notas, inqvam, has nostras à Discentibus sine temporis dispendio lectum iri, nec sine fructu, confidimus; qvod si qvid alicubi, qvod alienum videatur, minusq; aptum & elegans, limatum tuum judicium offendat, illud vel communi tristiq; privilegio, qvo ex homine natis errare interdum licet, condonabis, vel curis ac negotiis Scholæ catenatis, qvibus non tam impediti, qvàm obruti sumus, imputabis, etiam chartæ angu-

ſtia, ne opuſculum, ipſa brevitate commendabile, in aliqvam molem excreſceret, ſtylo temperare & dicenda qvandoq; prætermittere, vel invitos coegit, Amicorum ſaltē voluntati utcunq; ſatis facere & ſtudioſæ Juventuti, cujus unius commodis promovendis operam omnem ipſamq; vitam ſacravimus, pro Ingenioli noſtri modulo inſervire ac prodeſſe voluimus. Magno te rogamus opere, Humaniſſime Lector, ut hoc, qvicqvid eſt laboris, boni conſulas, conatibus noſtris, ſi minus fructuoſis, honeſtis tamen faveas, & ſi qva gratiæ minus aut laudis promereri videantur venia ea dones liberali. Ita te ſervet ſancta Salus! *Scrib. Northus. d. 12. Novemb. Anno 1665.*

De

De Historia in genere.

Historia est descriptio aut expositio rerum à DEO hominibusq; gestarum. Ea duplex: Sacra & Profana. Illa vel à Scriptoribus ἀναμαρτήτοις tradita & S. literis comprehensa, vel ab aliis Viris doctissimis literarum monumentis consignata & cùm Ecclesiæ potissimùm statum tradat, Ecclesiastica appellatur. Hæc ea, qvæ in Imperiis Rebusq; publicis, aut etiam in vita communi acciderunt, enarrat. Illa ad salutem & Ecclesiæ regimen scitu, hæc ad Prudentiam cognitu necessaria est. Finem Historiæ docet Cicero 2. de Orat. Historia, inqviens, est testis temporum, magistra vitæ, nuntia vetustatis. Usus ejus multiplex, qvo de dicere nec loci hujus est, nec nostri nunc instituti, exempla sanè virtutis summis dotatæ, laudibus ac præmiis ornatæ amplissimis abunde suggerit, qvibus dici non potest, qvantùm ingenia, non infeliciter nata, ad illius excolendæ studium incitentur atq; inflammentur. Verè Cicero in Verr. Exempla plurimùm solent & auctoritatis habere ad

probandum; & jucunditatis ad audiendum; imò morum præcepta qvasi mortua esse videntur, nisi illustrium exemplorum vita animentur; contrà scelerum supplicia à designandis flagitiis; ad qvæ tàm multa nos in hac vita invitant, avocant atq; absterrent; & jam fortunæ inconstantia & lusus in humanis rebus, dum elatos illa deprimit, depressos evehit, modestiæ nos monet, ne bonis transitoriis confisi, aut vicissitudinis rerum omnium immemores, elatos geramus spiritus, sed Flacci monito meminerimo æqvam servare mentem rebus in arduis, non secus in bonis ab insolenti temperatam lætitia. Od. 3. l. 2. Carm. Historiæ leges has tradit Cic. l. 2. de Orat. Prima est, ne qvid falsi dicere audeat, ne qvid veri non audeat, ne qva suspicio gratiæ sit in scribendo, ne qva simultatis. Has leges à plerisq; neglectas Nepos noster religiosè observâsse videtur, dum & Virtutes Virorum Illustrium ea, qua decet, laude effert & vitia, qva fas est, ignominia notat, ut illas omni studio amplexi

plexi, hæc viperino cautius sangvine vitemus, detestemur, execremur.

Corn. Nepotis. Historicus is fuit ævi sui nobilissimus, Padi accola, ut ait Plinius, Veronæ, aut circa eam, natus. Ciceronis ætate floruit, ejusdem familiaris Gell. l. 15, c. 28. Florente scilicet Cæsare florvit & Augusto imperante, decessit, id qvod Clarissimi Viri certissimis argumentis dudum probarunt, & ipsa dictio pura & Romana evincit. Qvi igitur ad seqviorem ætatem has Excellentium Impp. vitas referunt & Æmylio Probo, qvi fortè eas manu sua descriptas Theodosio Imp. seculo IV. obtulit, attribuunt, à verò aberrant. vid. Voss. in Lat. Histor. Multò qvidem plura Nepotem scripsisse constat, sed ea injuria temporis hominumq; incuria perdita desideramus.

CORN. NEPOS
vulgò
ÆMILIUS PROBUS
De
VITA EXCELLENTIUM IMPERATORUM.

NOn dubito fore plerosq; , Attice, qvi hoc genus scripturæ, leve, & non satis dignum summorum virorum personis judicent, cùm relatum legent, qvis musicam docuerit Epaminondam, aut in ejus virtutibus commemorari, saltasse eum commodè, scienterq; tibiis cantasse. Sed hi erunt ferè, qvi expertes litterarum Græcarum, nihil rectum, nisi qvod ipsorum moribus conveniat, putabunt. Hi, si didicerint, non eadē omnibus esse honesta atq; turpia, sed omnia majorum institutis judicari, non admirabuntur, nos in Grajorum virtutibus exponendis mores eorum secutos, Neqve enim

enim Cimoni fuit turpe, Athenienſium ſummo viro, ſororem germanam habere in matrimonio, qvippe cùm cives ejus eodem uterentur inſtituto, at id qvidem noſtris moribus nefas habetur. Laudi in Græcia ducitur adoleſcentulis, qvamplurimos habere amatores. Nulla Lacedæmoni tam eſt nobilis vidua, qvæ non ad ſcenam eat mercede conducta. Magnis in laudibus tota ferè fuit Græcia victorem Olympiæ citari, in ſcenam verò prodire, & populo eſſe ſpectaculo nemini in eisdem gentibus fuit turpitudini: qvæ omnia apud nos partim infamia, partim humilia, atq; ab honeſtate remota, ponuntur. Contrà ea pleraq; noſtris moribus ſunt decora, qvæ apud illos turpia putantur. Qvem enim Romanorum pudet uxorem ducere in convivium? aut cujus mater familias non primum locum tenet ædium, atq; in celebritate verſatur? qvod multò fit aliter in Græcia. Nam neqve in convivium adhibetur, niſi propinqvorum, neqve ſedet, niſi in interiore parte ædium, qvæ gynæconitis appella-

tur, qvò nemo accedit, nisi propinqvâ cognatione conjunctus. Sed plura persequi tum magnitudo voluminis prohibet, tum festinatio, ut ea explicem, qvæ exorsus sum. Qvare ad propositum veniemus, & in hoc libro exponemus de vita excellentium Imperatorum.

Ad Præfationem.

MUSICAM. Vulgò hæc Ars canendi voce, fidibus. Prisci Musicam dixêre Artes omnes, qvæ ad Humanitatem pertinent, inprimis Poesin, unde Comico Poetæ dicuntur, qvi Artem tractant Musicam. Alioqvi Græcia olim magni fecit Musicam, hinc Themistocles, cùm in epulo solenni recusasset lyram, habitus est indoctior. Cic. l. 1. Tusc. Qvæst. & Socrates jam Senex lyra institui non erubuit. Qvintil. l. 1. c. 13.

SALTASSE. Romani saltationem haut probâsse videntur, hinc Cic. pro Mil. Nemo saltat sobrius, nisi fortè insanit. De Sempronià Salust. in B. Catil. eam literis, ait, græcis & latinis doctam, saltasse elegantius, qvàm necesse fuisset probæ

probæ, & Horat. od 6. l. 3. Carm. in luxuriam Romanorum invectus, motus, inqvit, doceri gaudet Ionicos matura virgo.

MAJORUM INSTITUTIS. Mira variaq; fuere Gentium instituta moresq;. Thraces cum plausu vita functos efferebant, recens natos cum planctu excipiebant. Cic. in Consol. Ægyptii panem pedibus, manibus lutum subigebant. Apud Tibarenos (hi populus fuere Asiæ) moris erat, ut puerpera domestica obiret negotia, ejusq; loco lectulo maritus decumberet & mollissimè tractaretur. Majores nostri, dum Ethnicismo addicti fuere, humanis olim hostiis Mercurio litârunt. Hæc talia ad Pietatis & Honestatis Regulam exigenda, exactaq; vel probanda, vel aversanda sunt.

SOROREM GERMANAM. Intelligendam esse Sororem ὁμοπάτριον eamq; hoc loco germanam h. e. eodem germine nempe Patre prognatâ dici, nonnulli asserunt Critici. Alioqvi Sororem uxorem ducere divina lege vetitum est. Lev. 18. qvam gentes libidini addictio-

res

res neglexisse certum est. Apud Herod. l. 3. legimus Cambysen Regem Persarum sororis ducendæ desiderio ductum ex regiis Judicibus qvæsivisse, num lege id matrimonium concederetur. eosq; veritos, ne impotentis in se iram Regis concitarent, respondisse: illud qvidem legibus expresse non permitti, at alia lege constitutum esse, ut Regi liceret, qvicqvid liberet: Senecæ autem verbo:

Minimùm decet libere, cui multùm licet.

AMATORES. Masculos amores approbâsse videtur Græcia: ita Socratem, Platonem, Xenophontem pueros amâsse legimus, qvos tamen animæ & indolis ingenuæ amatores, non corporis fuisse verisimile est. Plut. de Puer. Educ. Euripides.

Ἀλλ' ἔστι δή τις ἄλλος ἐν βροτοῖς ἔρως
ψυχῆς δικαίας σώφρονός τε κἀγαθῆς

Sed est qvidam alius in mortalibus amor, animæ justæ temperantisq; & honestæ; alioqvi παιδεραστία, amor puerorum, qualis est pædiconum, horribile flagitium est, ultrici flamma castigandum.

IN

IN SCENAM. Scena frons Theatri erat & ea pars, qvæ ab uno ejus cornu ad alterum cum coopertura ducebatur, eaqve erat Versatilis aut Ductilis. vid. Scal. de Re Poet. Locus ante scenã porrectus dicebatur proscenium, in qvo erat Pulpitum, Agentium & Loqventium locus. Histriones, Mimi cæteriq; Ludii scenici ad viliora hominum genera apud Romanos referebantur. Scenæ servire dicuntur, qvi rebus ac temporibus sese accommodant.

GYNÆCONITIS. aliàs Gynæcéum, interior pars ædium, in qva mulieres à virorum conspectu remotæ, lanæ dabant operã. Apud Græcos enim fœminæ spectatæ Pudicitiæ non versabantur in celebritate, sed domi qvasi fixæ hærebant, hinc Venerem in concha stantem pingebant. Hebr virgo dicitur עַלְמָה à Rad. עלם, occultavit, eò qvod domi delitesceret, nec nisi necessitate coacta in publicum prodiret, Eurip. in Oresl. εἰς ὄχλον ἔρπειν' παρθένοισιν ὃ κακὸν, in turbam repere Virginibus non honestum. Qvilibet cum Cæsare id agat, ut domus

sua

sua non crimine tantùm, sed criminis etiam suspicione careat.

Axiomata.

1. Diversis diversa placent qvotq; capitum vivunt, totidem studiorum millia Horat. l. 2. Sat. 1.

2. Majorum instituta, si cum honesto & æqvo non pugnent, seqvi fas est

3. Νόμος & χώρα, lex & regio. Moribus Regionis, in qva versamur, serviendum. Proteus & Polypus esto, qvoad honestè licet.

MILTIADES.

MILTIADES Cimonis filius Athenienſis, cùm & antiqvitate generis, & gloriâ majorum, & suâ modestiâ, unus omnium maximè floreret, eâq; esset ætate, ut non solùm de eo benè sperare, sed etiam confidere cives possent sui, talem futurum, qvalem cognitum judicarunt, accidit, ut Athenienses Chersonesum colonos vellent mittere, cujus generis cum magnus numerus esset, & multi ejus demigrationis peterent societatem, ex his delecti Del-

phos deliberatum misſi ſunt, qvi conſulerent Apollinem, qvo potisſimùm duce uterentur. nam tum Thraces eas regiones tenebant, cum qvibus armis erat dimicandum. His conſulentibus nominatim Pythia præcepit, ut Miltiadem ſibi imperatorem ſumerent. id ſi fecisſent, incepta proſpera futura. Hoc oraculi reſponſo Miltiades cum delecta manu claſſe Cherſoneſum profectus, cùm accesſiſſet Lemnum & incolas ejus inſulæ ſub poteſtatem redigere vellet Athenienſium, idq; ut Lemnii ſua ſponte facerent, poſtulasſet, illi irridentes reſponderunt, tùm id ſe facturos, cùm ille domo navibus proficiſcens vento aqvilone venisſet Lemnum. hic enim ventus à ſeptentrionibus oriens adverſum tenet Athenis proficiſcentibus. Miltiades morandi tempus non habens, curſum direxit qvò tendebat, pervenitq; Cherſoneſum. Ibi brevi tempore barbarorum copiis disjectis, totâ regione, qvā petierat, potitus, loca caſtellis idonea communiit: multitudinem, qvam ſecum duxerat, in agris collocavit:

locavit: crebrisq; excursionibus locupletavit. Neq; minus in ea re prudentiâ, qvàm felicitate adjutus est. namcùm virtute militum devicisset hostium exercitùs, summâ æqvitate res constituit, atq; ipse ibidem manere decrevit. erat enim inter eos dignitate regiâ, qvamvis carebat nomine, neq; id magis imperiô, qvàm justitiâ, consecutus, neqve eò secius Athenienſibus, à qvibus erat profectus, officia præstabat. Qvibus rebus fiebat, ut non minus eorum voluntate perpetuò imperium obtineret, qvi miserant, qvàm illorum, cum qvibus erat profectus. Chersoneso tali modo constituto Lemnum revertitur, & ex pacto postulat, ut sibi urbem tradant. illi enim dixerant, cùm ventoBorea domo profectus eò perveniſſet, sese dedituros: se autem domum Chersonesi habere. Cares, qvi tum Lemnum incolebant, etsi præter opinionem res cecíderat, tamen non dicto, sed secunda fortuna adversariorum capti, resistere ausi non sunt, atq; ex insula demigrarunt. Pari felicitate cæteras insulas, qvæ

qvæ Cyclades nominantur, sub Athenienſium redegit Poteſtatem. Eisdem temporibus Perſarum rex Darius, ex Aſia in Europā exercitu trajecto, Scythis bellum inferre decrevit. pontem fecit in Iſtro flumine, qvâ copias traduceret. ejus pontis (dùm ipſe abeſſet) cuſtodes reliqvit principes qvos ſecum ex Jonia & Æolide duxerat. qvibus ſingulis ipſarum urbium perpetua dederat imperia. ſic enim putavit, facillimè ſe Græca lingva loqventeis, qvi Aſiam incolerent, ſub ſua retenturum poteſtate, ſi amicis ſuis oppida tuenda tradidiſſet: qvibus ſe oppreſſo nulla ſpes ſalutis relinqveretur. In hoc fuit tum numero Miltiades; cui illa cuſtodia crederetur. Hic cùm crebri afferrent nuntii malè rem gerere Darium, premiq; ab Scythis, Miltiades hortatus eſt pontis cuſtodes, ne à fortuna datam occaſionem liberandæ Græciæ dimitterent. nam ſi cum his copiis, qvas ſecum transportaverat, interiiſſet Darius, non ſolùm Europam fore tutam, ſed etiam eos, qvi Aſiam incolerent Græci genere, liberos à Perſarum

rum futuros dominatione & periculo. Id facilè effici posse, ponte enim resciſſo regem vel hoſtium ferro, vel inopia, paucis diebus interiturum. Ad hoc conſilium cùm pleriq; accederent, Iſtiæus, ne res conficeretur, obſtitit dicens, non idem ipſis, qvi ſummas imperii tenerent, expedire & multitudini, qvòd Darii regno ipſorum niteretur dominatio, qvo extincto ipſos poteſtate expulſos civibus ſuis pœnas daturos. itaq; adeò ſe abhorrere à cæterorum conſilio, ut nihil putet ipſis utilius, qvàm confirmari regnum Perſarum. Hujus cùm ſententiam plurimi eſſent ſecuti, Miltiades non dubitans tam multis conſciis ad regis aureis conſilia ſua perventura, Cherſoneſum reliqvit, ac rurſus Athenas demigravit, cujus ratio etſi non valuit, tamen magnoperè eſt laudanda, cum amicior omnium libertati, qvàm ſuæ fuerit dominationi. Darius autem, cum ex Europa in Aſiam rediiſſet, hortantibus amicis, ut Græciam redigeret in ſuam poteſtatem, claſſem qvingentarum navium comparavit, eiq; Datin præfe-

cit,

cit, & Artaphernem, hisqve ducenta peditum millia, & decem eqvitum dedit, causam interserens se hostem esse Athenienſibus, qvòd eorum auxilio Jones Sardis expugnassent, suaqve præsidia interfeciſſent. Illi præfecti regii classe ad Eubœam appulsa celeriter Eretriam ceperunt, omneisqve ejus gentis civeis abreptos in Asiam ad regem miserunt. Inde ad Atticam accesserunt, ac suas copias in campum Marathona deduxerunt. Is abest ab oppido circiter millia passuum decẽ. Hoc tumultu Athenienſes tam propinqvo, tamqve magno permoti auxilium nusqvam, nisi à Lacedæmoniis, petiverunt, Philippidemq; cursorem ejus generis, qvi hemerodromi vocantur, Lacedæmonem miserunt, ut nuntiaret, qvàm celeri opus esset auxilio. Domi autem creati decem prætores, qvi exercitui præessent: in eis Miltiades, inter qvos magna fuit contentio, utrùm mœnibus se defenderent, an obviam irent hostibus, acieqve contenderent. unus Miltiades maximè nitebatur, ut primo qvôq; tem-

tempore castra fierent, id si factum esset, & civibus animum accessurum, cùm viderent de eorum virtute non desperari, & hostes eadem re fore tardiores, si animadverterent audere adversus se tam exiguis copiis dimicare. hoc in tempore nulla civitas Athenienſibus auxilio fuit præter Platæenſeis. ea mille misit militum. Itaqve horum adventu decem millia armatorum completa sunt: qvæ manus mirabili flagrabat pugnandi cupiditate. Qvo factum est, ut plus, qvàm collegæ, Miltiades valuerit. Ejus enim auctoritate impulsi Athenienses copias ex urbe eduxerunt, locoqve idoneo castra fecerunt. Deinde postero die, sub montis radicibus acie è regione instructa, nova arte, vi summa prælium commiserunt. Namqve arbores multis locis erant raræ, hoc consilio, ut & montium tegerentur altitudine, & arborum tractu eqvitatus hostium impediretur, ne multitudine clauderentur. Datis, etsi non locum æqvum videbat suis, tamen fretus numero copiarum suarum confligere cupiebat, eoqve magis, qvòd prius, qvàm

qvàm Lacædemonii subsidio venirent, dimicare utile arbitrabatur. Itaqve in aciem peditum centum, equitum decem millia produxit, prælium qve commisit. In qvo tanto plus virtute valuerunt Athenienses, ut decuplicem numerum hostium profligarent: adeò qve perterruerunt, ut Persæ non castra, sed naveis peterent. Qva pugna nihil adhuc est nobilius. nulla enim umqvam tam exigua 6
manus tantas opes prostravit. Cujus victoriæ non alienum videtur, quale præmium Miltiadi sit tributum, docere, quo facilius intelligi possit, eandem omnium civitatum esse naturam. Ut populi nostri honores qvondam fuerunt rari & tenues, ob eam q; causam glorioſi, nunc autem effusi atq; obsoleti: sic olim apud Athenienseis fuisse reperimus. Namq; huic Miltiadi, qui Athenas, totamq; Græciam liberavit, talis honos tributus est in porticu, quæ Pœcile vocatur, cùm pugna depingeretur Marathonia, ut in decem prætorum numero prima ejus imago poneretur, isq; hortaretur milites, prælium q; committeret. Idem

dem ille populus, posteaquam majus imperium est nactus, & largitione magistratuum corruptus est, trecentas statuas Demetrio Phalereo decrevit. Post hoc prælium classem septuaginta navium Athenienses eidem Miltiadi dederunt, ut insulas, quæ barbaros adjuverant, bello persequeretur, quo imperio plerasq; ad officium redire coegit, nonnullas vi expugnavit. Ex his Parum insulam opibus elatam cùm oratione reconciliare non posset, copias è navibus eduxit, urbem operibus clausit, omniq; commeatu privavit, deinde vineis actestudinibus constitutis propius muros accessit. Cùm jam in eo esset, ut oppido potiretur, procul in continenti lucus, qui ex insula conspiciebatur, nescio quo casu, nocturno tempore incensus est: cujus flamma ut ab oppidanis & oppugnatoribus est visa, utriqve venit in opinionem signum à classiariis regiis datum. quo factum est, ut Parii à deditione deterrerentur, & Miltiades timens, ne classis regia adventaret, incensis operibus, qvæ statuerat, cum totidem navibus

vibus, atqve erat profectus, Athenas magna cum offensione civium suorum rediret. Accusatus ergo proditionis, qvòd, cùm Parum expugnare posset, à rege corruptus infectis rebus á pugna discessisset. Eo tempore æger erat vulneribus, qvæ in oppugnando oppido acceperat. Itaq; qvoniam ipse pro se dicere non posset, verba fecit frater ejus Stesagoras. Causa cognita capitis absolutus, pecunia multatus est, eaq; lis qvinqvaginta talentis æstimata est, qvantus in classem sumtus factus erat. Hanc pecuniam, qvòd solvere non poterat, in vincula publica conjectus est, ibiqve diem obiit supremum. Hic etsi crimine Pario est accusatus, tamen alia causa fuit damnationis. namq; Atheniensis propter Pisistrati tyrannidem, qvæ paucis annis antè fuerat, omnium suorum civium potentiã extimescebant. Miltiades multùm in imperiis, magistratibusqve versatus, non videbatur posse esse privatus, præsertim cùm consvetudine ad imperii cupiditatem trahi videretur. Nam Chersonesó omneis illos, qvos

qvos habitaret annos, perpetuam obtinuerat dominationem tyrannusque fuerat appellatus, sed justus. non erat enim vi consecutus, sed suorum voluntate eamqve potestatem bonitate retinuerat. Omnes autem & habentur & dicuntur tytanni, qui potestate sunt perpetua in ea civitate, qvæ libertate usa est. Sed in Miltiade erat cùm summa humanitas, tum mira comitas, ut nemo tam humilis esset, cui non ad eum aditus pateret; magna auctoritas apud omneis civitates, nobile nomen, laus rei militaris maxima. Hæc populus respiciens, maluit eum innoxium plecti, qvàm se diutius esse in timore.

Miltiades.

COLONOS. *Coloni dicuntur* 1. *agricultores*, 2. *qvi ex Metropoli* (ita *Civitas dicebatur*, *qvæ Coloniam emittebat*) *in alium locum habitandi caussa deducuntur. Colonia & locum habitationis, & ipsos incolas notabat. Colonias autem Urbes emittebant, vel ad reprimendos hostes, vel ad coërcendos veteres incolas, vel ad*

ad civium numerum minuendum. Apud Græcos, cùm in Civitate aliqua hominum numerus nimis excresceret, ut terra omnibus alendis non sufficeret, moris erat DEO cuipiam Sacrare, qvantùm annus hominum pareret eosq́, cum ætatem virilem attigerant, emittebant armis instructos, ut terram sibi, qvam colerent, armata manu acqvirerent. Dion. Halic. l. 1. Antiq. Rom.

Apollinem. *Apollo Pythius, à cæso serpente Pythone (Ovid. 1. Met. f. 8.) sic dictus, aut potius mendax Spiritus orbis universi propemodùm populis Delphis responsa dabat consulentibus, unde (ic. pro M. Fontejo id vocat Orbis terræ oraculum, donis refertum omnium populorum & Regum, Conf. l. 1. de Divin. Delphis scil. antrum profundum erat, cujus ostio excelsus imminebat tripus, qvem simul atq́, anus fatidica, Pythia dicta, inscenderat, hausto divinationis Spiritu, responsa edebat metro, aut libera oratione, Erasm. in Ad. De tripode dictum.*

Irridentes. *Parva sæpe scintilla magnum excitavit incendium contemta: neq́*

qvicqvam periculosius, qvàm suas nimium extollere, hostium vires aspernari. Goliathus immani gigas corpore Davidem puerum contemnit & ab eo occiditur, ita Darius Alexandrum initiò famulum & insanientem puerum appellabat suisq; Satrapis id negotii dabat, ut puerilibus cæsum verberibus vinctum sibi traderent. l. 2. Suppl. in Curt. ab Eod. tamen imperio, à Besso vitâ exutus est.

Chersonesum pervenit. Χέρρος vel χέρσος, terra inculta, νῆσος insula: estitaq; Chersonesus peninsula, regio undiqvaq; mari cincta, nisi qvod exiguo spacio terræ adhæret. Celebres sunt Peninsulæ 1. Hæc Chersonesus Thraciæ. 2. Chersonesus Taurica. 3. Peloponnesus. 4. Chersonesus Cimbrica pars Regni Danici, 5. Chersonesus aurea in India.

Summa æqvitate. Continentia & Moderatio in altissima qvaq; fortuna eminentia bona Curt. l. 6. Errat longè mea sententia, qvi imperium gravius esse credat & stabilius, vi qvod sit, qvàm illud, qvod amicitia adjungitur. Ter. in Adelph. Act. 1, Sc. 1.

Dignita-

Dignitate regia. *Qvi faciat rectè, non qvi dominatur, erit Rex, & apud Horat. l. 1. ep. 1. pueri ludentes, Rex eris, ajunt, si rectè facies, Pulchrè Sen. in Thyest. Regem non faciunt opes, non vestis tyriæ color, non frontis nota regiæ, (Diadema,) non auro nitidæ trabes. Rex est, qvi posuit motus & diri mala pectoris, qvem non ambitio impotens & nunqvam stabilis favor vulgi præcipitis movet. Miltiades rem sine titulo gessit, hodiè multi sine re titulum.*

Cares. *Asiæ populus bellicis delectatus studiis, ut qvi vili mercede conductus bella gerebat, parvo venalem pretio vitam bellanti offerens, hinc proverbium: In Care periculum.*

Darius ex Asia. *Hic Darius Hystaspis filius, hinnitu equi Rex constitutus. Vid. Herod. & Justinus. Lanthino Regi Scytharum ob negatam ambienti filiam, bellum intulit, armatis septingentis hominum millibus Scythiam ingressus, at amissis nonaginta millibus, trepidè refugit, Just. l. 2.*

In Jonia. *Coloniæ in Asiam ex Græ-*

cia de migrarunt & oram maritimam occuparunt. Regiones earum Æolis, Ionia, Doris, hinc cùm nonnihil in sermone mutarent, orta Dialectorum est diversitas, Poëtas Græcos evolventi notissima.

Premiq; ab Scythis. *Scytharum gens aspera bellis & laboribus, quam impune nemo attigit. Reginâ Tomyri, Scythæ Cyrum cum toto exercitu trucidarunt. Alexandri M. copias deleverunt, Romanorum arma audivere, non sensere Justin. l 2. Scil. anceps bellorum exitus est & Mars communis. Cicero. Galeatum serò duelli pœnitet. Juven. Sat. 1.*

Omnium libertati. *Aurea res & inæstimabilis Libertas est, Servitus dura, invisa, intolerabilis, cui & mors anteponenda Cic. 1. offic. In eo quidem laudandus esse videtur Miltiades, quod publica privatis antetulit commodis & Græciæ libertati maluit, quàm suæ dominationi consulere, perfidiæ tamen notam non effugit, cùm & hosti fides servanda sit exemplo Reguli, qui non ignarus, quæ sibi barbarus tortor pararet, orat. od. 5. l. 3. Carm. ad supplicium redire maluit, quàm fidem hosti datam fallere lib. 1. offic.*

Se

Se hostem esse. *Darius hic adeò infensus fuit Atheniensibus, ut appositâ cœnâ à satellite ter moneri voluerit: μέμνησο Ἀθηναίων, ne sc. ultionis oblivisceretur, At injuriarum memoria brevis, meritorum æterna esse debebat.*

Hemerodromi. *Cursores diarii, qvi unius diei spacio plurimùm viæ conficiebant: ἡμέρα, dies, δρόμος, cursus. Hic Philippides biduo cucurrit Athenis Lacedæmonem, mille ducenta & qvadraginta stadia, ut volunt, nobis ea sunt 38. milliaria. Ita Ladas Alexandri cursor pedum velocitate maximè valuit, ita ut in arenis vix ulla pedum vestigia relinqveret, hinc ex Poeta dicimus.*

Si Ladas ego pennipesvé Perseus
Aut si pegasio ferar volatu,
hoc aut illud assecutus non fuero &c.

Mœnibus se defenderent. *Viris & Virtute, non muris & mœnibus nitendum est, hinc Agesilaus viros commonstrans armatos hæc Spartæ, inqvit, mœnia.*

Exigua manus. *Æstimandæ, non numerandæ copiæ inq; earum Virtute, non numero, ponenda est spes victoriæ. Alexan-*

der manu non adeò magnâ vicit Darium, cui nihil minus, qvàm militum multitudo defuit. In hac pugna Themistocles adolescens præclarè rem gessit & illustrè eximiæ indolis edidit specimen, Cynægirus etiam fugientes hostes insecutus navem onustam dextrâ manu tenuit, nec prius dimisit qvàm manum amitteret; tùm qvoq; amputatâ dextrâ, sinistrâ navem comprehendit, qvam & ipsam cùm amisisset ad postremum morsu navem detinuit. Just. l. 2. Et facere & pati fortia militare est,

Honores rari. Virtutis uberrimum alimentum honos est, inqvit Val. Maximus, at maximæ olim Virtutis minima fuere præmia.

Ipsa etiam Virtus sibimet pulcherrima merces

Ovid. 2. de pont. & Claud. in Paneg. de Mallii Consul.

Ipsa qvidem Virtus pretium sibi solaq; latè,
Fortunæ secura nitet, nec fascibus ullis
Erigitur plausuve petit clarescere vulgi.

Ita Coronæ Triumphales è lauro primum fuere, at luxus & insolentia laurum in aurum

rum transmutarunt, Roſ. l. 10. Antiq. c. 27.

Poecile. *Porticus erat Athenis, à varietate picturarum ſic dicta, ποικίλος, varius. In ea porticu Zeno docuit, Stoicorum Princeps, quibus hinc nomen eſt. στοὰ, porticus.*

Demetrio Phalereo. *Huic ob Remp. benè adminiſtratam trecentas ſexaginta Athenienſes erexere ſtatuas, quas cùm paullò poſt invidiæ agitati ſtimulis dejeciſſent, ſubjecit ille: at Virtutes non everterunt, quarum gratia eas erexerant, Laërt. l. 5. c. 5. Scilicet, ut ait Horat. od 2. l. 3. Carm.*

Virtus repulſæ neſcia ſordidæ,
Intaminatis fulget honoribus,
Nec ſumit, aut ponit ſecures
Arbitrio popularis auræ.

Paron Inſulam. *Una hæc de Cycladibus, marmore nobilitata. Horat, od. 19. l. 1. de Glycera:*

Urit me Glyceræ nitor
Splendentis Pario marmore purius.

Vineis. *Vinea & Teſtudo vocabula πολιορκητικὰ. Vid. Lex. Hoc loco vineæ & teſtudines*

ſtudines ſunt machinæ bellicæ in Urbium oppugnationibus adhiberi olim ſolitæ. Veget. l. 4. c. 15. Vinea erat machina lignea alta pedes octo, lata ſeptem, longa ſedecim, tabulatis cratibusq; contexta & coriis operta. Teſtudo tabulatum ex trabibus pluteisq; factum coriisq; contectum, ſub ea latitabant milites vineis aut turribus viam munientes & ſolum æqvantes. Vid. Antiqv. Romanæ.

In vincula. *Vindex Libertatis Græciæ in vinculis decedit. Rem indignam! Verè hic παλαιὰ ἀ χάρις καθεύδει, antiqva dormit gratia, ut ait Sophocles. Ita Scipio Major, cùm magnis rebus geſtis, invidiâ civium laboraret, utere, inqvit, ſine me beneficio meo, Patria, ex eo, ſi plus, qvàm tibi expedit, erevi, hinc in voluntarium exilium conceſſit Linternum, ubi reliqvam ætatem egit & moriens corpus ſuum Romam referri vetuit, ne vel oſſa ſua ingrata patria poſſideret. Livius.*

Piſiſtrati. *Homo hic factioſus, regni appetens ipſe ſibi vulnera inflixit, eaq; populo oſtendit, multa de Principum crudelitate queſtus, lacrymis etiam additis dolo conficti-*

is,

fictis, quibus à credula multitudine, Solone frustrà dissuadente, ad corporis custodiam armatos obtinuit satellites, per quos arce occupata & tyrannide, regnavit annos 34. Just. l. 2. dejectus, à Phya, muliere & statura & forma insigni, quæ curru recta sublimi, Minervam mentiebatur, restitutus est. Vid. Herod. l. 1.

Extimescebant. *Verè Cicero: Quem metuunt, oderunt, quem adorant, periisse expetunt. Virtutem incolumem odimus* Horat. od. 24. l. 3. Carm. *Accedit invidia, assidua eminentis fortunæ comes* Vellej. Pat. l. 1. *Præclarè Noster in Chabria c. 3. Est hoc commune vitium in magnis liberisq; civitatibus, ut invidia gloriæ comes sit & libenter de his detrahant, quos eminere videant altius, neq; animo æquo pauperes alienam opulentam intnentur fortunam.*

Tyrannus. *Rex et Tyrannus apud Nepotem ita differunt, ut Rex sit, qui & potestatem habet, & nomen. Tyrannus, qui regiam obtinet potestatem, nomen non habet. Olim tyranni, nomen honestum. Eurip.* τίς γῆς τύραννος, *quis terræ Dominus? & alibi* σοφοὶ τύραννοι τῶν συφῶν

συνουσίᾳ, sapientes fiunt Reges Sapientum consvetudine; posteà verò qvàm Reges potestate sua abusi, superbè & crudeliter imperium exercuerunt, nomen Tyranni infame factum, iis datum est, qvi vi & animi libidine dominati sunt, ita Latro, Sophista, Magus, honesta olim nomina erant Satellitum & Sapientum. qvi hodiè viarum obsessores, deceptores, venefici &c. Tyrannus duplex: Occupationis, qvi Remp. sibi non commissam vi aut dolo invadit, & Administrationis, qvi legitimè qvidem constitutus est princeps, sed tyrannicè regnat.

Axiomata.

1. *Ab immortali DEO agendi capienda primordia, ita incepta futura prospera. Gentiles certè nihil vel publicæ, vel privatæ rei, nisi auspicatò, gerebant.*
2. *Nihil in hoste tutò despicitur, qvem spreveris valentiorem negligentiâ feceris Alex. ap. Curt. l. 6. Lemnii id non observant.*
3. *Aliena dum appetimus, periculum est, ne nostra amittamus.*

-- Wie

— — Wie wol ist der daran /
Der andre ruhen läßt und selber ruhen kan.

Darius malo suo inquietus & bellax.

4. *Nihil est tàm molle tàm tenerum, tàm fragile, aut flexibile, quàm voluntas erga nos sensusq3 civium, Cic. pro Mil. Ut fortuna, sic gratia vulgi vitrea est, cùm maximè splendet, frangitur. Expertus id Miltiades.*

Miltiades.

MAjorum splendore nitens, propriaq3 coruscans.
Miltiades *Virtute, Sagi Pacisq3 decorus*
Artibus, oppresso subitò Thrace, occupat Arces
Lemniacas, Victor bello, subigitq3 potentes
Cycladas, insidias pro libertate Dario
Molitus, redit in patriam. Tùm Persa superbus
Ingentes armatq3 manus Grajisq3 minatur
Ultima, sed victus retrò fugit, auspice pugnæ
Miltiade, tantæ cladis Marathonia testis
Area, præclustris jactat monumenta Tropæi.
Quæ verò meritis tantis, quæ præmia, quæso,

Plebs ingrata refert? Stimulis agitata furoris
Damnatum vinclis & cæco carcere mulctat,
Sic moritur vinctus, terris qvem dicta fama
Claret & eximiis Virtus Heroibus æqvat.

THEMISTOCLES.

THEMISTIOCLES Neocli filius Atheniensis. Hujus vitia meuntis adolescentiæ, magnis sunt emendata virtutibus: adeò ut anteferatur huic nemo, pauci pares putentur, Sed ab initio est ordiendum. Pater ejus Neocles, generosus fuit. is uxorem Halicarnasiam civem duxit, ex qva natus est Themistocles, qvi cum minus esset probatus parentibus, qvòd & liberius justo vivebat, & rem familiarem negligebat, à patre exheredatus est. qvæ contumelia non fregit eum, sed erexit. Nam cùm judicasset sine summa industria non posse eam exstingvi, totum se dedidit reipublicæ, diligentius amicis, famæqve serviens. Multùm in judiciis privatis versabatur

batur, sæpè in concionem populi prodibat, nulla res major sine eo gerebatur, celeriterqve, qvæ opus erant, reperiebat. Neqve minus in rebus gerendis promptus, qvam excogitandis, erat, qvòd & de instantibus (ut ait Thucydides) verisimè judicabat, & de futuris callidisimè conjiciebat. Qvò factum est, ut brevi tempore illustraretur. Primus autem gradus fuit capessendæ reipublicæ bello Corcyræo: ad qvod gerendum prætor à populo factus, non solùm præsenti bello, sed etiam reliqvo tempore ferociorem reddidit civitatem. nam cùm pecunia publica, qvæ ex metallis redibat, largitione magistratuum qvotannis interiret, ille persvasit populo, ut eâ pecuniâ classis centum navium ædificaretur. Qvæ celeriter effecta, primum Corcyræos fregit, deinde maritimos prædones consectando mare tutum reddidit. In qvo cum divitiis ornavit, tum etiam peritisimos belli navalis fecit Athenienses. Id qvantæ saluti fuerit universæ Græciæ, bello cognitum est Persico; Nam cùm Xerxes & mari & terra

bellum universæ inferret Europæ, cum tantis eam copiis invasit, qvantas neqve ante, neqve postea habuit qvisqvam. hujus enim classis, mille & ducentarum navium longarum fuit, qvam duo millia onerariarum sequebantur, terrestres autem exercitus septingentorum millium peditum, equitum qvadringentorum millium fuerunt. Cujus de adventu cùm fama in Græciam esset perlata, & maximè Athenienses peti dicerentur propter pugnam Marathoniam, miserunt Delphos consultum, qvidnam facerent de rebus suis. Deliberantibus Pythia respondit, ut mœnibus ligneis se munirent. Id responsum, qvò valeret, cum intelligeret nemo, Themistocles persvasit, consilium esse Apollinis, ut in naveis se suaq; conferrent. eum enim significari murum ligneum. Tali consilio probato, addunt ad superiores totidem naveis triremeis: suaqve omnia, qvæ moveri poterant, partim Salaminem, partim Trœzenem asportant, arcem sacerdotibus paucisqve majoribus natu ad sacra procuranda tradunt, reliqvum oppidum

pidum relinqvunt. Hujus consilium plerisq; civitatibus displicebat, & in terra dimicari magis placebat. Itaqve missi sunt delecti cum Leonida Lacedæmoniorum rege, qvi Thermopylas occuparent, longiusqve barbaros progredi non paterentur. Hi vim hostium non sustinuerunt, eoqve loco omnes interierunt. At classis communis Græciæ, trecentarum navium, in qva ducentæ erant Athenienſum, primùm apud Arthomisium, inter Eubœam, continentemqve terram cum classiariis regis conflixit. angustias enim Themistocles qværebat ne multitudine circumiretur. Hinc etsi pari prælio discesserant, tamen eodem locò non sunt ausi manere, qvòd erat periculum, ne, si pars navium adversariarum Eubœam superasset, ancipiti premerentur periculo. Qvò factum est, ut ab Arthomisio discederent, & adversum Athenas apud Salamina classem suam constituerent. At Xerxes, Thermopylis expugnatis, protinus accesit Astu, idqve nullis defendentibus, interfectis sacerdotibus, qvos in arce invenerat, incen-

incendio delevit, cujus flamma perterriti classiarii cùm manere non auderent, & plurimi hortarentur, ut domos suas discederent, mœnibusque se defenderent, Themistocles unus restitit, & universos pares esse posse ajebat, dispersos testabatur perituros idq; Eurybiadi regi Lacedæmoniorum, qvi tùm summæ imperii præerat, fore affirmabat, qvem cùm minus, qvàm vellet, moveret, noctu de servis suis, qvem habuit fidelissimum, ad regem misit, ut ei nuntiaret suis verbis, adversarios in fuga esse, qvi si discessissent, majore cum labore & longinqviore tẽpore, bellũ confecturum, cùm singulos consectari cogeretur: qvos si statim aggrederetur, brevi universos oppressurum. Hoc eò volebat, ut ingratis ad depugnandum omnes cogerentur. Hac re auditâ barbarus nihil doli subesse credens, postridie alienissimo sibi loco, contrà opportunissimo hostibus, adeò angusto mari conflixit, ut ejus multitudo navium explicari non potuerit. Victus ergo est magis consilio Themistoclis, qvàm armis

nis Græciæ. Hic etsi malè rem gesserat, tamen tantas habebat reliqvias copiarũ, ut etiam cum his opprimere posset hosteis. Interim ab eodem gradu depulsus est. Nam Themistocles verens, ne bellare perseveraret, certiorem eum fecit id agi, ut pons, qvem ille in Hellesponto fecerat, dissolveretur, ac reditu in Asiam excluderetur. idq; ei persvasit. Itaqve, qvâ sex mensibus iter fecerat, eâdem minus diebus triginta in Asiam reversus est, seqve â Themistocle non superatum, sed conservatum judicavit. Sic unius viri prudentia Græcia liberata est, Europæq; succubuit Asia. Hæc altera victoria, qvæ cum Marathonio possit comparari trophæo, nam pari modo apud Salamina parvo numero navium maxima post hominum memoriam classis est devicta. Magnus hoc bello Themistocles fuit, nec minor in pace. Cùm enim Phalereo portu neq; magno, neq; bono Athenienses uterentur hujus consilio, triplex Piræei portus constitutus est, isqve mœnibus circumdatus, ut ipsam urbem dignitate

æqva-

æqvaret, utilitate ſuperaret. Idemqve muros Athenienſium reſtituit præcipuô periculô ſuô. namqve Lacedæmonii cauſam idoneam nacti propter barbarorum excurſiones qvare negarent oportere extra Peloponeſum ullam urbem haberi, ne eſſent loca munita, qvæ hoſtes poſſiderent, Athenienſeis ædificanteis prohibere ſunt conati. Hoc longè alis ſpectabat atqve videri volebant; Athenienſes enim duabus victoriis, Marathonia & Salamina, tantam gloriam apud omneis genteis erant conſecuti, ut intelligerent Lacedæmonii de principatu ſibi cum his certamen fore. qvare eos qvàm infirmiſſimos eſſe volebant. Poſtqvam autem audierunt muros ſtrui, legatos Athenas miſerunt, qvi id fieri vetarent. His præſentibus, deſierunt; ac ſe de ea re legatos ad eos miſſuros dixerunt. Hanc legationem ſuſcepit Themiſtocles, & ſolus primò profectus eſt, reliqvi legati ut tum exirent, cùm ſatis altitudo muri exſtructa videretur. præcepit: interim omnes ſervi atqve liberi opus facerent, neqve ulli loco parcerent

cerent, sive sacer esset, sive profanus, sive privatus, sive publicus, & undiqve, qvod idoneum ad muniendum putarent, congererent. Qvo factum est, ut Athenienſium muri ex ſacellis ſepulcriſqve conſtarent; Themiſtocles autem, ut Lacedæmonem venit, adire ad magiſtratus noluit, & dedit operam, ut qvàm longiſſimè tempus duceretur, cauſam interponens ſe collegas exſpectare. Cùm Lacedæmonii qvererẽtur opus nihilominus fieri, eumqve in ea re conari fallere, interim reliqvi legati ſunt conſecuti: à qvibus cùm audiſſet non multum ſupereſſe munitionis, ad Ephoros Lacedæmoniorum acceſſit, penes qvos ſummum imperium erat: atqve apud eos contendit falſa his eſſe delata: qvare æqvum eſſe, illos, bonos viros, nobilesqve mittere, qvibus fides haberetur, qui rem explorarent, interea ſe obſidem retinerent. Geſtus eſt ei mos, tresqve legati, functi ſummis honoribus Athenas miſſi ſunt. Cum his collegas ſuos Themiſtocles juſſit proficiſci: eisq; præ dixit, ut ne priꝰ Lacedæmoniorum legatos

tos dimitterent, qvàm ipse esset remissus. Hos postquam Athenas perveniſſe est ratus, ad magistratum, senatumqve Lacedæmoniorum adiit, & apud eos liberrimè professus est, Athenienseis suo consilio, qvod communi jure gentium facere possent, Deos publicos, suosqve patrios ac penateis, qvò faciliùs ab hoste possent defendere, muris sæpsisse: neq; eos, qvod inutile esset Græciæ, feciſſe, nam illorum urbem ut propugnaculum oppositum esse barbaris, apud qvam jam bis classem regiam feciſſe naufragium. Lacedæmonios autem malè & injustè facere, qvi id potius intuerentur, qvod ipsorum dominationi, qvam qvod universæ Græciæ utile esset. Qvare si suos legatos recipere vellent, qvos Athenas miserant, se remitteret: aliter illos nunqvam in patriam essent recepturi. Tamen non effugit civium suorum invidiam, namqve ob eundem timorem, qvo damatus erat Miltiades, testarum suffragiis è civitate ejectus, Argos habitatum concessit. Hîc cùm propter multas ejus virtutes magna cum dignitate

v ivere

viveret, Lacedæmonii legatos Athenas miserunt, qui eum absentem accusarent, qvòd societatem cum rege Persarum ad Græciam opprimendam fecisset, hoc crimine absens proditionis est damnato. Id ut audivit, qvòd non satis tutum se Argis videbat, Corcyram demigravit. Ibi cùm ejus princ.pes civitatis animadvertisset timere, ne propter se bellum his Lacedæmonii & Athenienses indicerent, ad Admetum Molossorum regem, cum qvo ei hospitium fuerat, confugit. Huc cùm venisset, & in præsentia rex abesset: qvo majore religione se receptum tueretur, filiam ejus parvulam arripuit, & cum ea se in sacrarium, qvod firma colebatur cæremonia, conjecit. inde non prius egressus est, qvàm rex eum datâ dextrâ in fidem reciperet: qvam præstitit, nam cùm ab Atheniensibus & Lacedemoniis exposceretur publicè, supplicem non prodidit, monuitqve, ut consuleret sibi. difficilè enim esse, in tam propinqvo loco tutò eum versari. Itaqve Pidnam eum deduci jussit, &, qvòd satis esset, præsidii dedit.

dedit. Hîc in navem omnibus iguotus ascendit: qvæ cum tempestate maximâ Naxum ferretur, ubi tum Athenienſium erat exercitus, ſenſit Themiſtocles, ſi eò perveniſſet, ſibi eſſe pereundum. hac necesſitate coactus domino navis, qvis ſit aperit, multa pollicens, ſi ſe conſervaſſet. At ille clariſſimi viri captus miſericordiâ, diem, noctemq; procul ab inſula in alio navem tenuit in ancoris, neqve qvenqvam ex ea exire paſſus eſt. Inde Epheſum pervenit, ibiqve Themiſtoclem exponit: cui ille pro meritis gratiam poſtea retulit. Scio plerosq; ita ſcripſiſſe, Themiſtoclem Xerxe regnante in Aſiam tranſiſſe. ſed ego potiſſimùm Thucydidi credo, qvòd ætate proximus erat, qvi illorum temporum hiſtoriam reliqverunt, & ejusdem civitatis fuit. Is autem ait, ad Artaxerxem eum veniſſe, atqve his verbis epiſtolam miſiſſe: Themiſtocles veni ad te, qvi plurima mala omnium Grajorum in domum tuam intuli, cùm mihi neceſſe fuit adverſus patrem tuum bellare, patriamqve meam defendere. Idem

dem multo plura bona feci, postqvàm in tuto ipse, & ille in peticulo esse cœpit, Nam cum in Asiam reverti vellet, prælio apud Salaminam facto, literis eum certiorem feci, id agi, ut pons, qvem in Hellesponto fecerat, dissolveretur, atqve ab hostibus circumiretur. qvo nuntio ille periculo est liberatus. Nunc autem ad te confugi exagitatus à cuncta Græcia, tuam petens amicitiam: qvam si ero adeptus, non minus me bonum amicum habebis, qvàm fortem inimicum ille expertus est. Ea autem rogo, ut de his rebus, de qvibus tecum loqvi volo annum mihi temporis des, eoqve transactô me ad te venire patiatis. Hujus rex animi magnitudinem admirans, cupiensqve talem virum sibi conciliari, veniam dedit. Ille omne illud tempus litteris, sermoniqve Persarum dedit: qvibus adeò eruditus est, ut multò commodius dicatur apud regem verba fecisse, qvàm hi poterant, qvi in Perside erant nati. Hic cum multa regi esset pollicitus, gratissimumq; illud si suis uti consiliis vellet, illum Græciam bello oppressu-

pressurum, magnis muneribus ab Artaxerxe donatus in Asiam rediit, domiciliumqve Magnesiæ sibi constituit, namqve hanc urbem ei rex donaverat, his usus verbis, qvæ ei panem præberet: ex qva regione qvinqvaginta ei talenta qvotannis redibant: Lampsacum, unde vinum sumeret: Myuntem, ex qva opsonium haberet. Hujus ad nostram memoriam monumenta manserunt duo, sepulcrum prope oppidum, in qvo est sepultus: statuæ in foro Magnesiæ. De cujus morte multis modis apud plerosqve scriptum est: sed nos eundem potissimùm Thucydidem auctorem probamus: qvi illum ait Magnesiæ morbo mortuum: neq; negat fuisse famam, venenum sua sponte sumsisse, cùm se qværegi de Græcia opprimenda pollicitus esset, præstare posse desperaret. Idem ossa ejus clam in Attica ab amicis esse sepulta, qvoniam legibus non concederetur qvòd proditionis esset damnatus, memoriæ prodidit.

Themi-

Themistocles.

NEOCLES. *Homo, ut ait Plutarchus, obscurus, Pater Themistoclis, quem Abrotonum meretriculam peperisse sunt, qui asserunt. Sæpe accidit, ut liberi Parentum virtutem, gloriamq; superent. Sthenelus apud Homer. l. 2. Iliad.*

Ἡμεῖς τοι πατέρων μέγ' ἀμείνονες εὐχόμεθ' εἶναι.

Nos certè gloriamur multò nos esse Parentibus præstantiores.

Et quid?

Malo Pater tibi sit Thersites, dummodò tu sis
Æacidæ similis Vulcaniq; arma capessas.
Quàm te Thersitæ similem producat Achilles
Juven. Sat. 8.

Exhæredatus est. *Patrem Filium Themistoclem ob mores minus probatos abdicasse, matrem ob filii turpitudinem laqueo vitam finiisse ait Val. Max. l. 6. c. XI. sed fabulam esse dicit Plut. in Themist. Prima quidem ætate variis fuit moribus & suo rem remigio gerens, animum interdum ad deteriorem partem applicavit, sed revocatus,*

in viam rediit, hinc ipse dicere solitus est: ferocissimi pulli, si rectè docti & educati fuerint, generosissimi evadunt equi. Præceptor de eo ita judicare consuevit: Tu nihil, mi Fili, eris mediocre, sed aut magnum bonum, aut ingens malum, Id. 16.

Totum se dedit Reip. *Alacritatem hanc plurimùm auxit æmulatio: cum enim res gestæ Miltiadis mirificè celebrarentur, multas noctes insomnes exegit, causam interrogatus, respondit: Miltiadis tropæum somnum sibi adimere. Verè Vell. Paterc. l. 1. Æmulatio alit ingenia, & nunc invidia, nunc admiratio incitationem accendit.*

Ex metallis redibat. *Infrà in Cimone: Magnas pecunias ex metallis fecerat, ubi per metalla intelliguntur loca ipsa, unde metalla effodiuntur,* Ertzgruben. *Etiam ad Lapidicinas transfertur, hinc in metallum damnatus esse dicitur, damnatus in lapidicinam.*

Xerxes. *Hic Darii Patris cladem, quam in campo Marathonio passus erat, vindicaturus, numerosissimo Græciam exercitu invasit, adeò, ut tota flumina tot hominum*

minum sit restinguendæ vix sufficerent. Artabanus senex bellum dissuadet, Mardonius juvenis gloriæ amplificandæ cupidus suadet & persuadet, Herod. l. 7. Memoranda hujus Regis & Crudelitas. Pythius, Lydorum ditissimus ipsi cùm toto exercitu epulum dederat & ingentia adjecerat munera, precatus, ut è quinq; filiis uni vacationem à militia permitteret, qua re irritatus Rex filium medium disecari jussit, partibus ad latera viæ, quam transibat exercitus, suspensis. 2. Impietas. Omnia Deorum fana in Græcia violavit, vastavit, etiam Delphos exercitus partem misit, quæ Templum Apollinis diriperet; ea verò manus imbribus & fulminibus deleta est, Just. l. 2. 3. Timiditas. Artemisia Cariæ Regina acerrimè pugnante, otiosus ipse pugnæ spectator in edito colle aureo sedebat solio, multis adhibitis scribis, qui res gestas annotarent & literis mandarent à posteritate legendas, Plut. in Themist. Primus in fuga, postremus in prælio semper visus est, Just. l. 2. 4. Stoliditas: cùm enim pontem in Hellesponto factum tempestas dissolvisset, mari iratus trecenta ei jussit verbera infligi & compedes injici, misit etiam,

qui stigmata inurerent. Herod. l. 7. 5. Calamitas. Victus fugatusq; qvem paullò antè vix omne æqor ceperat, piscatoria scapha Hellespontum trajecit trepidus, & contemtus spretusq; domi, ab Artabano, Præfecto suo, interfectus est.

Sic, sic despumat Juppiter ollas.

Verba Oraculi hæc fuerunt:

Τεῖχος Τριτογενεῖ ξύλινον διδοῖ εὐρύοπα Ζεύς,

Murum Minervæ ligneum dat latè cernens Jupiter.

Ita ambigua, dubia, incerta mendacis spiritus fuere responsa, hinc dictus est Apollo λοξίας. Sen. in Oed.

Ambage nexa Delphico mos est Deo
Arcana tegere

Oppidum relinqvunt. Civitate in naves conscendente, tristi id plerisq; fuit spectaculo, liberis â complexu Parentum avulsis, etiam domestica animalia cum latratu ac desiderio conscendentes, altores suos affectantia commiserationem moverunt, in his Xantippi canis ægrè ferens ab eo se disjungi, in pelagus insiliit & juxta triremem ejus natans,

natans, Salamina tenuit, ubi deficiens, statim expiravit. Verè dictum:

Inter quadrupedes canis fidelis &c.

Cum Leonida. *Hic Spartæ Rex, cum oraculo edoctus cognovisset, morte sua pestem à patria posse averti, prælium iniit moriturus & ne inultus moreretur, cum delectis sexcentis vel ut alii habent, trecentis Lacedæmoniis Thermopylas occupavit (Thermopylæ sunt angustiæ fauces in montibus Græciæ aquis calidis scatentes, θερμὸς, calidus, πύλαι porta) & in castra qvingentorum millium ausus irrumpere ingentem edidit stragem & cum suis non tàm victis qvàm vincendo fatigatis inter ingentes hostiũ catervas occidit Just. l. 2. Dicere solitus est, malle se cervos ũ agmen Leone Duce, qvã agmen leonũ Duce cervo. Pugnam aggressurꝰ ad milites prandentes conversꝰ, pergite, inqvit, animo forti, hodiè apud inferos cœnabimus Cic. l. 1. Tusc. qvæst. & l. 2. de Fin. Bon. & Mal. cũ esset proposita aut fuga turpis, aut gloriosa mors, sese opposuit hostibus: præclaræ mortes, inqviens, sunt Imperatoriæ. Ita*

Dulce & decorum est pro patria mori,
Horat. l. 3. Carm. od. 2.

Angustias. *In loci opportunitate plurimum momenti positum est. Ita supra Miltiades loco idoneo castra facit. Hannibal loco sibi commodo, hostibus iniqvo pugnavit & victor discessit. Florus. Alexander in angustiis Ciliciæ cum Dario, tanti Duce exercitus, conflixit & vicit. Curt. l. 3.*

Accesit Astu. *Vox græca est ἄστυ, Urbs. Ita καὶ' ἐξοχὴν olim dictæ sunt Athenæ, Artium inventrices, de qvibus silere melius puto, qvàm parum dicere, uti de Carthagine dicit Salust. in. Bell. Catil. Ingeniorum maximè felicitate floruit, ut proinde corpora separata in alias Civitates, ingenia verò solis Athenienſium muris clausa existimet Vell. Paterc. l. 1. Sic illa terrarum Dea gentiumq; Roma Urbs appellata, Alexandria πόλις.*

Universos esse pares. *Vis unita fortior, divisa fragilis. Notum illud Micipsæ apud Salust. in Bell. Jugurt. Concordia res parvæ crescunt, discordia maximæ dilabuntur: illud item Sciluri Scytharum Regis, qui octoginta liberorum Parens, morti vicinus, iisdem fasciculum jaculorum porrigens confringere ea jussit, qvod*

cùm

cum efficere non possent, singulatim illa distribuit & tùm facilè suũ quisq; jaculum confregit, quo ipso docuit, unitos robustos, dissolutos imbelles esse futuros, Plutarchus.

Eurybiadi. *In acerrima hac contentione Eurybiades baculum sustulit ad pulsandum Themistoclem, hic verò; Feri, inquit, sed audi tamen, qua ille motus moderatione audiit & ad saniora reductus est consilia, Plut. in Themist.*

Ingratiis. *Apud Comicos vox frequens, aliis nomen, aliis adverbium esse videtur, nonnulli legunt ingratis i. invitò. Plaut. in Cas. Act. 2. Sc. 5. Vobis invitis atq; amborum ingratiis unâ libellâ liber possum fieri, ita pasim: ingratiis,* ohn deinen Danck/ wider deinen Willen. *Ter. Act. 2. Sc. 1. Eun. ingratiis ut dormiam id est invitus, velim, nolim.*

Unius viri prudentia. *Hæc domi militiæque utramq; paginam facit: nam*

Nullum numen abest, si sit prudentia Juv. Sat. 10. Vis consilî expers mole ruit suâ, Hor. od. 4. l. 3. Corporis ea præstat robore, hinc Ulysses prudens robusto Ajaci l. 13. Met. f. 1.

— — *tu tantùm corpore prodes,*
Nos animo, quantoq; ratem qui temperat, anteit
Remigis officium; quantò est Dux milite major,
Tantùm ego te supero.

Agamemnon l. 2. Iliad. non validos decem Ajaces, sed prudentes decem Nestores optat, quorum putat consilio facilè Trojam everti posse, & Darius dixisse fertur, unum se Zopyrum malle salvum, quàm centum Babylonas capere.

Marathonio Tropæo. *Tropæa erant corpora trunca cum spoliis à verb. gr. τρέπω, vel τροπίω, retroverto: eo enim loco monumentum tale erigebatur, ubi hostes in fugam conversi, Victori terga dederant. Ita victor Æneas cæso Mezentio l. 11. Æn.*

Ingentem quercum decisis undiq; ramis
Constituit tumulo fulgentiaq; induit arma
Mezenti Ducis exuvias, tibi, magne, Tropæum,
Bellipotens. &c.

Metonymicè tropæum victoriam notat, aut spolia victoria parta.

Minor

Minor in pace. *Themistocles non fuit, qvalis Marius, de qvo Vellej. l. 2. qvantùm bello optimus, tantùm pace pessimus.*

Piræei portus. *Qvadringentarum hic navium capax & amplissimo muro septus, locũ habebat δεῖγμα, ab ostendendo dictum, eò qvod merces ibi venales mercantium oculis exponerentur.*

Lacedæmonii. *Hi institutis legibusq; Lycurgi informati, rigidi fuere Virtutis satellites, viri fortes, bellatores strenui, unde Diogenes Sparta Athenas reversus, dixisse fertur, à viris ad mulieres se rediisse Ut duris assuescerent liberi, eos etiam insontes plectebant & loris usq; ad necem cædebant. Xenoph. de Lac. Rep. & Luciano de Gymnas. hinc proverbium natum, solas Lacænas viros parere. Muros negligebant cum Plauto rati, satis munitum esse oppidum, si cives benè sint morati, aliàs centuplicem murum rebus servandis parùm esse, qvapropter Panthoedas Spartanus, cum in Asia Urbem qvandam altis firmisq; septam vidisset mœnibus, adjecit: καλὴ, ὦ ξένοι, γυναικοτίλις, pulchrum ô Hospites, gynæcéum. Cum Athenien-*

sibus plerumq; malam coluêre gratiam, Imperii summam, qvam & illi affectabant, sibi vendicantes.

Muros instrui. *Qværi solet, an muris Urbs cingenda sit? Spartani id negarunt, cum metuendum sit, ne validiores munitiones incolas ad rebellionem invitent; at cum feræ sua habeant antra & aviculæ in locis tutioribus nidulos sibi struant, etiam injurias, qvacunq; viâ liceat, depellere fas sit, mœnibus Urbem cingi qvis vetet? Distingvendum tamen inter Civitates Liberas & Oppressas, his negatum, qvod illis concessum est. Spartani Athenas muniri prohibuerunt veriti, ne Urbis æmulæ auctis firmatisq; opibus, ea sibi suoq; Imperio gravis, cristas tolleret &c. Ita hodieq; Politici vicini potentiam meritô suspectam haberi, ideoq; eam modis omnibus esse censent minuendam, infringendam.*

Tempus ducere *id est protrahere. Virgil. nos flendo ducimus horas. Horat. pocula sub umbra ducere. Apud Cicer. l. 1. Ep. 2. ad famil. Consules diem consumi volebant.*

Suorum invidiam. *Magnæ Virtutis &*

felici-

felicitatis comes individua invidia, quam Aristoteles l. 2. Rhetor. definit dolorem ex aliena felicitate. Horat. epist. 2. l. 1.

Invidus alterius macrescit rebus opimis.

Elegans Invidiæ descriptio extat apud Ovid. l. 2. Met. fab. 12.

Pallor in ore sedet, macies in corpore toto.

Risus abest, nisi qvem visi movere dolores.

È Civitate ejectus, *Ut acerbum est, dicente Plaut. Act. 5. Sc. 2. pro benefactis mali messem metere. Præsentissimô Græciam periculô liberaverat, & Athenas muris sepserat Themistocles, qvid præmii retulit? infamiam, fugam, exilium, qvanqvam ob injurias, qvibus Aristidem oneravit solumq; vertere coegit, pretium tulisse videtur. Hes. l. 1. Op.*

Οἱ αὐτῷ κακὰ τίυχει ἀνὴρ, ἄλλῳ κακὰ τίυχων.

Sibi ipsi mala struit vir, alteri mala struens.

Magna cum dignitate, *Omne solum forti patria est, neq; usqvam Virtuti sua deest gratia, sua gloria. Præclarè Musonius apud*

Gellium: Si quid turpe feceris, cum voluptate, voluptas abit, turpitudo manet; si quid honestè feceris cum labore, labor abit, honestas manet. Expertus illud est Themistocles, qui, ubicunq; fuit, principem locum tenuit, & ipsis etiam hostibus admirationi fuit.

Filiam ejus parvulam. *Pauper & exul Themistocles haud projicit ampullas & sesquipedalia verba, Admeto etiam hosti, quem nescio qua injuria graviter offenderat, supplex factus; vindictæ igitur metuens filiam, vel, ut Plutarchus habet, filium parvulum ulnis exceptum parat intercessorem: scilicet*

Cui flammis opus est, sopitas suscitat aras.

Supplicem non prodidit. *Quam dextra data dederat fidem, præstat Admetus: hoc enim Reges habent magnificum & ingens, prodesse miseris, supplices fido lare protegere Sen. in Medea.*

Optimè *Homerus:*

Χρὴ ξεῖνον παρέοντα φιλεῖν, ἐθέλοντα δὲ πέμπειν.

Oportet hospitem præsentem amare, volentem autem dimittere. Et

Et quid? Xenocrates passerem insequente accipitre in sinu suo occultavit; hoste autem submoto aviculam dimisit, inquiens: Supplicem hosti non prodidi. Æl. l. 13. cap. 31. Gentilis superstitio hospitibus tutorem dabat Jovem ξένιον.

Annum temporis. *Nihil gravioris negotii temerè suscipiendum, βουλεύσ μὲν βραδέως, ait Isocrat. ad Demon: ἐπιτέλει δὲ ταχέως τὰ δόξαντα, tardè delibera & celeriter deliberata perfice. Sal. in B. Catil. Priusquam incipias, consulto; ubi consulueris, maturè facto opus est.*

Muneribus ab Artaxerxe. *Scilicet Virtus cum Ulysse naufrago enatat, cum Stilpone & Biante direpta emigrat patria, cum Themistocle exulat, eumq; vel hosti admirabilem facit. Artaxerxi certè Regi charissimus juxta ac familiarissimus fuit, ita, ut tanti viri gavisus consortio prægaudio in medio somno, referente Plutarcho, exclamaverit:*

Themistoclem habeo Athenienſem.

Tribus illis Urbibus, quarum Auctor meminit, eundem duas adjecisse ait Plutarchus, unam ad stratum, alteram ad vesti-

tum, hinc cum magnificè splendidéq; in Asia viveret, ajebat: Perieramus, ô Amici, nisi periissemus. Plut. l. 1. de Fort. Alex.

Venenum. *Ita Gentiles inter mos ferebat, ut infamiæ, aut periculo voluntaria sese morte subducerent, ferroq;, aut veneno suo animam ergastulo expellerent. Ita Demosthenes, ne Philippo, Hannibal, ne Romanis traderetur, sumto veneno hostium se ludibrio subtraxerunt. Ita cùm Romani Capuam diuturna obsidione fractam receperunt, Vibius, auctor defectionis, venenata potione ab impendente periculo se vindicavit, qvem ad lethiferos potus invitantem, 27. Senatores secuti; eodem omnes fato occubuerunt, Livius. De Themistocle Plut. in Vit. Celebris fama est, eum hausto taurino sanguine, mortem sibi conscivisse, cum vel consilii ipsum de opprimenda Græcia pœniteret, vel optatum belli exitum desperaret.*

Axiomata.

1. *Ineuntis ætatis vitia qvandoq; magnis emendantur Virtutibus. Sera nunquam est ad bonos mores via. Polemon*

mon juvenis luxuriæ summè deditus, cùm ludum Xenocratis de Continentia differentis esset ingressus, ita mutatus est, ut mox fieret Auditor, hinc Philosophus, tandem Magistri sui in Schola successor vid. Horat. l. 2. Serm. sat. 3.

2. Æmulatio in re bona optima est, de qua Hesiod. l. 1. Op.

ἀγαθὴ ἔρις ἥδε βροτοῖσι.

3. Imperatoriæ Virtutes sunt, ut ait Cic. pro Leg. Manilia, labor in negotio, sollicitudo in periculis, industria in agendo, celeritas in conficiendo, consilium in providendo. His Virtutibus Xerxe destituto, excelluit Themistocles, unde ille turpiter fugit, hic gloriosè vicit.

4. Pericula ac mortem amor Patriæ vincit. Exempla nota sunt Anchuri, Codri, Curtii, Deciorum, Leonidæ &c. Debemur patriæ nos nostraq3.

5. Potentia cedit Consilio, quo Athenarum muros restauravit Themistocles, contemto Spartæ potentis fremitu.

6. Monstrum illud πολυκέφαλον vulgus maximis

maximis plerumq; meritis pessimam refert mercedem. Expertus illud est Themistocles cum aliis quàm plurimis.

7. Virtuti ubiq; sua est patria, sua sunt præmia.

8. Themistoclis hæc dicta celebrantur: Cùm in ludis Olympicis spectatores certatoribus neglectis oculos omnes in unum conjicerent, ipsumq; digito monstrarent, eo se die dixit laborum suorum mercedem tulisse.

Prædium venditurus à Præcone jussit adjici: Bonum vicinum habere. Cum cadavera armillis aureis ornata præteriisset, equo non descendit; Amico autem comiti dixit: tolle ea tibi: neq; enim tu es Themistocles.

Ab Athenienſibus, ut imperaret, revocatus non, inquit, laudo eos homines, qui eodem vase pro matula (dicto sit venia) & ad infundendum vinum utuntur. Æl. 13. C. 40. Cum optio ipsi daretur elocandi filiam, diviti minus probatis moribus, aut pauperi optimè morato, malo, inquiebat, virum, qui pecunia egeat, quàm pecuniam, quæ viro, Cic. 2. Offic. Themi-

Themistocles.

Invisos Patriæq; suæ Patriq; Neocli
Mores protervos corrigit Themisto-
cles.
Hinc graditur magnis ad Famam passi-
bus, unus
Rebus gerendis publicis aptissimus.
Corcyram bello domat & classem instruit
armis,
Queis prædo fractus, cedit infido mari.
Interpres Phœbi, Patriam Dux classe tue-
tur
Vastisq; cinctum copiis Xerxem fugat.
Illusa Sparta natalem mœnibus Urbem
Portumq; munit pace belloq; optimus.
Invida Testarum tantum suffragia da-
mnant
(Nefas!) soloq; patrio exigunt Virum.
Hinc petit Argivos Corcyræosq; tuosq;,
Ad-me-te, supplex, exul & nudus
Lares;
Pulsus & hinc, charta placato supplice, Rege
Ab Artaxerxe dona fert amplissima.
Urbs inopi triplex panes, obsonia, vina
Præbere jussa est. Sic obit Magnesiæ.

ARI-

ARISTIDES.

ARISTIDES Lysimachi filius Atheniensis, æqvalis ferè fuit Themistocli. itaqve cum eo de principatu contendit. namqve obtrectarunt inter se. In his autem cognitum est, qvanto antistaret eloqventia innocentiæ. qvamqvam enim adeò excellebat Aristides abstinentia, ut unus post hominum memoriam, qvod qvidem nos audierimus, cognomine justus sit appellatus, tamen à Themistocle collabefactus testula illa, exilio decem annorum multatus est. Qvi qvidem cùm intelligeret reprimi concitatam multitudinem non posse, cedensqve animadverteret qvendam scribentem, ut patria pelleretur, qvæsisse ab eo dicitur, qvare id faceret, aut qvid Aristides commisisset, cur tanta pœna dignus duceretur? Cui ille respondit, se ignorare Aristidem, sed sibi non placere, qvòd tam cupidè elaborasset, ut præter cæteros justus appellaretur. Hic decem annorum legitimam pœnam non pertulit, nam postqvam Xerxes in Græciam descendit, sexto ferè anno post-

postqvam erat expulsus, plebiscito in patriam restitutus est, Interfuit autem pugnæ navali apud Salaminam, qvæ facta est prius, qvàm pœnâ liberaretur. Idem prætor fuit Athenienſium apud Platæeas in prœlio, qvo Mardonius fusus, barbarorumqve exercitus est interfectus. Neqve aliud est ullum hujus in re militari illustre factum, qvàm hujus imperii memoria: justitiæ verò, & æqvitatis, & innocentiæ multa. Imprimis, qvòd ejus æqvitate factum est, cùm in communi classe esset Græciæ simul cùm Pausania, qvo duce Mardonius erat fugatus, ut summa imperii maritimi ab Lacædemoniis transferretur ad Athenienſeis. namqve ante id tempus & mari & terra duces erant Lacedæmonii, tùm autem & intemperantiâ Pausaniæ, & justitiâ factum est Aristidis, ut omnes ferè civitates Græciæ ad Athenienſium societatem se applicarent, & adversus barbaros hos duces diligerent sibi, qvò facilius repellerent, si fortè bellum renovare conarentur. Ad classes ædificandas, exercitusqve comparandos, qvantum

tum pecuniæ qvæqve civitas daret, Aristides delectus est, qvi constitueret, ejusqve arbitrio qvadringenta & sexaginta talenta qvotannis Delum sunt collata. id enim commune ærarium esse voluerunt. Qvæ omnis pecunia posteró tempore Athenas translata est. Hic qva fuerit abstinentia, nullum est certius indicium, qvàm qvòd cùm tantis rebus præfuisset, in tanta paupertate decessit, ut qvi efferretur, vix reliqverit. Qvò factum est, ut filiæ ejus publicè alerentur, & de communi ærario dotibus datis collocarentur. Decessit autem ferè post annum qvartum, qvàm Themistocles Athenis erat expulsus.

Aristides.

OBtrectarunt inter se. *Ut ingenia, ita studia diversa simultates inter hos viros præstantissimos pepererunt. Themistocles vafer & callidus auram captabat popularem, homo ipse popularis; Aristides verò gravis & severus Optimatum caussam tuebatur; dispares autem mores*

mores, ut ait Cicero in Lælio, disparia studia sequuntur, quorum dissimilitudo dissociat Amicitias. Obtrectationem idem ita definit l. 4. Tusc. quæst. quod sit ægritudo exeo, quod alter quoq; potiatur eo, quod ille ipse concupiverit.

Justus sit appellatus. *Justitiæ nomen ambitu suo omnes Virtutes complecti notum est. Theognis:*

Ἐν δὲ δικαιοσύνῃ συλλήβδην πᾶσ' ἀρετή 'στι

In Justitia verò summatim omnis Virtus est.

Alii Reges dici voluere Fulminatores, Urbium Expugnatores, Victores, alios; magnificos sibi titulos arrogarunt, potentiam suam declaraturi, quantò præclarius nomen tulit Aristides, Justus dictus cognomine, quam appellationem Plutarchus dicit βασιλικωτάτην καὶ θειοτάτην, *maximè regiam & divinissimam? De eo vulgò usurpabatur illud Æschyli:*

οὐ γὰρ δοκεῖν δίκαιος, ἀλλ' εἶναι θέλει.

Non enim videri justus, sed esse vult.

Eam

Eam enim compendiariam adgloriam esse viam dicebat Socrates, si quis id ageret, ut talis esset, qualis haberi vellet. Cic. 2. Off.

Collabefactus testula. *Hac de re ita Plutarch. in Arist., Civis Testulæ, quam ὄστρακον vocant, inscribebat nomen ejus, quem exactum volebat, hanc testulam in fori locum, cancellis undiq; septum, conjiciebat, hinc Archontes numerum inibant testularum; si infra sex millia essent, inanis erat exostracismus; post singula nomina ponebant seorsim & qui à plurimis scriptus erat, ei constituebant exilium decennale, neq; pœna hæc erat, sed mitigatio invidiæ & allevatio popularis odii.*

Præter cæteros Justus. *O infelicem Remp. in qua fraudi est esse probum, ubi quo quis nequior, eò melior, eoq; gratiosior. Non enim ob potentiam tantùm & opes deliranti vulgo erant invisi viri principes, sed ob Virtutis etiam excellentiam. Ita Ephesii Hermodotum hoc edicto proposito civitate expulerunt, nemo de nobis unquam excellat, sed si quis exstiterit, alio in loco & apud*

& apud alios sit, Cic. l. 5. Tusc. quæst: ubi addit: Aristides nonne ob eam caussam expulsus est patria, quod præter modum justus esset.

Plebiscito in Patriam. Carendo discimus, quàm chara sint bona, in periculo cognoscimus, quantum momenti in consilio manuq; viri cordati positum sit, ideoq; plebs Atheniensis, quem rebus secundis non sine dedecore ejecerat, adversis summo cum honore revocat. Ita Camillus, ita Cicero contumeliosè expulsi primùm, post gloriosè restituti sunt, & ille alter Romulus dictus, hic humeris quasi totius Italiæ in patriam reportatus est. Scil. flexibilis est hominum voluntas vel, ut ICti loquuntur, ambulatoria. Quirites mobiles Horat. od. 1. l. 1. Carm.

Apud Salamina. Quanquam grandes gravesq; injurias Themistocles Aristidi intulerat, tamen studio conservandæ patriæ incensus, ultrò ad ejus tabernaculum venit, eiq; evocato; quin vanas, ait, & juveniles dissensiones mittimus & Græciæ servandæ certamen inimus: Tu quidem Dux & Imperator esto, opera ego & consilio

silio tibi adero. Ad quod Themistocles, puderet, inquit, si in hac re superior me esses, ita conjunctis animis consiliisq; libertatem feliciter defendere Plut. in Arist,

Mardonius fusus. Xerxis ille gener dicitur cap. seq. cum sororis fuerit maritus, manu & consilio Dux potens, quem re male gesta, fugiens ille cum trecentis armatorum millibus ex omnibus copiis lectis ad perdomandam Græciam reliquerat, sed cum Duce fortuna mutata non est, nam fames primùm exercitum ejus, pòst pestis invasit, eaq; fuit fœditas morientium, ut viæ implerentur cataveribus, & bestiæ alitesq; escæ illecebris solicitatæ, copias sequerentur, tandem ingentes reliquiæ ad Mateas in Boeotia, Duce cæso, victæ deletæq; sunt. Hic Mardonius Athenienſibus, omnium egenis, ingentem pecuniæ vim obtulit, suas etiam partes secutis & Urbem restauraturum & Imperium Græciæ traditurum recepit; ex sententia verò Aristidis responsum est, quidquid vel supra, vel infra terram auri esset, tanti non esse populo Athenienſi, ut libertatem Græciæ prodat, hinc Mardonii Legatis, sole monstrato, Aristides:

Quoad

Quoad hîc, inqvit, cursum suum tenebit, populus Atheniensis ob vastatos fines & incensa Templa bello Persas persequetur.

Commune Ærarium. *Nervi gerendarum rerum pecuniæ sunt, inqvit Cicero, cujus inopia maximus in Rep. nodus est. Id. l. 2. ad Brut. ep. ult. ideoq; Græci bella gesturi, quæ infinitos sumptûs requirunt, ante omnia de ærario suo collocupletando rectè fuere soliciti: Nobilis belli Dux à magno Principe, ni fallor, Carolo V. interrogatus, qvid ad felicem belli expeditionem necessarium putaret, tria, dixit, requiri, primò pecuniam, secundò pecuniam & tertiò pecuniam.*

Abstinentia. *Qvàm rara, tàm eximia hæc Virtus in Magistratu, qvi plerumq; commissa pecora deglubit potius, qvàm tondit, suosq; ut farciat, alienos qvô jure qvâ injuria excutit locutos. Pauci nunc Lollii, de quo Horat. l. q. od. 9.*

— *est animus tibi*
Vindex avaræ fraudis & abstinens
Ducentis ad se cuncta pecuniæ.

In tanta paupertate. *Bonæ hæc mentis soror est, ut ait Petronius. Fabricius*

Dux Romanus, cui Pyrrhus hostis tale dedit testimonium: Solem à cursu suo citius, quàm hunc à justitia averteris, in ultima paupertate decessit.

Hunc & in comtis Curium capillis
Utilem bello tulit & Camillum
Seva paupertas,

Horat od. 12. l. 1. Carm.

Privatus illis census erat brevis
Commune magnum

Id. od. 15. l. 2 & certè re tenui auctâ, auctis opibus imminuta Virtus est & gloria Romana, Juv. Sat. 6.

Nullum crimen abest facinusq; libidinis, ex quo
Paupertas Romana perit.

Aurum Phocylidæ. κακῶν ἀρχηγὸς, malorum Dux, Horat. od. 24. l. 3.

Summi materies mali Ovid. l. 1. Met.

Opes irritamenta malorum. De paupertate *Aristidis Plutarchus ita: quæsivit in eâ gloriam inquiens: multi sunt, qui cæpiis benè & malè utantur; qui paupertatem egregiè ferat, ejus rarum est exemplum.*

Dotibus

Dotibus datis collocarentur. *Quanquam pulcherrima dos pudicitia est & satis amplum patrimonium, dicente Cicerone, fama gloriaq; paterni nominis, paupertinæ tamen virgines habentur illocabiles cùm de moribus ultima fiat quæstio, ut loquitur Juvenalis, prima de nummis, at Saniores quærunt, non quid dotis, sed quid Virtutis nova Nupta afferat.*

Axiomata.

1. *Collegas inter regnat plerumq; invidia ejusq; comes obtrectatio. Cui non notiversus Hes. l. 1. Op.*

Καὶ κεραμεὺς κεραμεῖ κοτέει,
Et figulus figulo iraſcitur.

Assiduum inter pares discordia malum, Just. l. 16.

2. *Excellere pulchrum est, at invidiosum. Invidiam tamen mavult vir prudens, quàm misericordiam. Themistocles doluit se in invidia non esse positum. Æl. l. 2. Var. Hist. c. 12.*

3. *Ipsa Innocentia non est tuta. Cato quadragies amplius Romæ accusatus est & absolutus.*

4. *Virtutem incolumem odimus*

Sublatam ex oculis quærimus invidi,
Horat. od. 24. l. 3. Carm.

5. *Aristiden magis sua nobilitavit paupertas, quàm crassum opulentia:* καλῶς πένεσθαι κρεῖττον, ἢ πλουτεῖν κακῶς.

6. *Abstinentiæ comes inopia. De Abdolonymo, quem ex olitore Regem Sidonis fecerat Alexander M. ita Curtius: Caussa ei paupertatis, sicut plerisq; probitas erat.*

7. *Cum Themistocles ridens Aristidæ abstinentiam aliquando diceret maximam se Virtutem ducere Imperatoris hostium consilia nôsse & præsentiscere, hic adjecit: necessarium quidem illud est, at præclarum & Imperatore dignum manus habere abstinentes.*

Aristides.

JUstus Aristides, *nulli gravis, omnibus æquus*
Et abstinens pecuniæ,
Pellitur Urbe, Domo meritus benè plebe furente,
At restitutus reppetit, Invi-

In vidæ victor, multa cum laude Penates,
Qveis Principatum comparat.
Oppressis bello Persis, æraria ditat,
Et justi & æqvi pertinax.
Atq; ita pauper obit, donandas dote relinqvens
Patriæ benignæ Filias.

PAUSANIAS.

PAUSANIUS Lacedæmonius, magnus homo; sed varius in omni genere vitæ fuit. nam ut virtutibus eluxit: sic vitiis est obrutus. Hujus illustrissimum est prælium apud Platæeas. namqve illo duce Mardonius satrapes regius, natione Medus, regis gener, inprimis omnium Persarum & manu fortis, & consilii plenus, cum ducentis millibus peditum, qvos viritim legerat, & viginti millibus eqvitum, haud ita magna manu, Græcia fugatus est: eoqve ipse dux cecidit prælio. Qva victoria elatus plurima miscere cœpit, & majora concupiscere. Sed primùm in eo est reprehensus, qvod cùm ex præda tripodem aureum Delphis posuis-

set epigrammate scripto, in qvo erat hæc sententia; Suo ductu barbaros apud Platæas esse deletos, ejusqve victoriæ ergò, Apollini donum dedisse: hos versus Lacedæmonii exsculpserunt, neqve aliud scripserunt, qvàm nomina earum civitatum: qvarum auxilio Persæ erant victi. Post id prælium, eundem Pausaniam cum classe communi Cyprum, atqve Hellespontum miserunt, ut ex his regionibus barbarorum præsidia depelleret. Pari felicitate in ea re usus elatius se gerere cæpit majoresqve appetere res. Nam cùm Byzantio expugnato cepisset complures Persarum nobiles, atqve in his nonnullos regis propinqvos, hos clam Xerxi remisit, simulans ex vinculis publicis effugisse, & cum his Gongylum Eretriensem, qvi litteras regi redderet, in qvibus hæc fuisse scripta Thucydides memoriæ prodidit. Pausanias dux Spartæ, qvos Byzantii ceperat, postqvam propinqvos tuos cognovit, tibi muneri misit, seqve tecum affinitate conjungi cupit: qvare, si tibi videtur, des ei filiam tuam nuptum

ptum. Id si feceris, & Spartam, & cæteram Græciam sub tuam potestatem se adjuvante redacturum pollicetur. his de rebus si qvid geri volueris, certum hominem ad eum mittas face;cum qvo colloqvatur Rex tot hominum salute tam sibi necessariorum magnopere gavisus, confestim cum epistola Artabazum ad Pausaniam mittit. In qva eum collaudat, ac petit, ne cui rei parcat ad ea perficienda, qvæ pollicetur. Si fecerit, nullius rei à se repulsam laturum. Hujus Pausanias voluntate cognita alacrior ad gerendam factus, in suspicionem cecidit Lacedæmoniorum. In qvo facto domum revocatus, accusatus capitis, absolvitur: multatur tamen pecunia, qvam ob causam ad classem remissus non est. At ille post non multo sua sponte ad exercitum rediit, & ibi non callida, sed dementi ratione, cogitata patefecit, Non enim mores patrios solùm, sed etiam cultum, vestitumqve mutavit. Apparatu regio utebatur, veste Medica: satellites Medi & Ægyptii seqvebantur:

epulabatur more Persarum luxuriosius, qvàm, qvi aderant, perpeti possent: aditum petentibus conveniendi non dabat, superbè respondebat, & crudeliter imperabat: Spartam redire nolebat: Colonas, qvi locus in agro Troade est, se contulerat, ibi consilia cùm patriæ, tum sibi inimica capiebat. Id postqvàm Lacedæmonii resciverunt, legatos ad eum cum scytala miserunt: in qva more illorum erat scriptum, nisi domum reverteretur, se capitis eum damnaturos. Hoc nuntio motus, sperans se etiam cum pecunia & potentia instans periculum posse depellere, domum rediit. huc ut venit, ab Ephoris in vincula publica conjectus est. licet enim legibus eorum cuivis Ephoro hoc facere regi. hinc tamen se expedivit: neqve eo magis carebat suspicione, nam opinio manebat, eum cum rege habere societatem. Est genus qvoddam hominum, qvod Helotes vocatur, qvorum magna multitudo agros Lacedæmoniorum colit, servorumq; munere fungitur, hos qvoqve solicitare spe

spe liberatis existimabatur. sed qvod harum rerum nullum erat apertum crimen, qvo argui posset, non putabant de tali, tamqve claro viro suspicionibus oportere judicari: sed expectandum, dum se ipsa res aperiret. Interim Argilius qvidam, adolescentulus, qvem puerum Pausanias *** dilexerat, cùm epistolam ab eo ad Artabazum accepisset, eiq; in suspicionem venisset, aliqvid in ea de se esse scriptum, qvòd nemo eorum rediisset, qvi super tali causa eodem missi erant: vincula epistolæ laxavit, signoqve detracto cognovit. si pertulisset, sibi esse pereundum. Erant in eadem epistola, qvæ ad ea pertinebant, qvæ inter regem, Pausaniamqve convenerant. Has ille literas Ephoris tradidit. Non est prætereunda gravitas Lacedæmoniorum hoc loco, namne hujus qvidem indicio impulsi sunt, ut Pausaniam comprehenderent: neq; prius vim adhibendam putaverunt, qvam se ipse indicasset. Itaqve huic indici, qvæ fieri vellent, præceperunt. Fanum Neptuni est Tænari, qvod vio-

lari nefas putant Græci. Eò ille index confugit: in ara consedit, hanc juxta locum fecerunt sub terra, ex qvo posset laudiri, si qvis qvid loqveretur cum Argilio. huc ex Ephoris qvidam descenderunt. Pausanias, ut audivit Argilium confugisse in aram, perturbatus eò venit: qvem cùm supplicem dei videret in ara sedentem, qværit causæ qvid sit tam repetini consilii. huic ille, qvid ex litteris comperisset, aperit, tanto magis Pausanias perturbatus orare cœpit, ne enunciaret, nec se meritum de illo optimè proderet. qvòd si eam veniam sibi dedisset, tantisq; implicitum rebus sublevasset, magno ei præmio futurum. His rebus ephori cognitis satius putaverunt in urbe eum comprehendi. qvò cum essent profecti, & Pausanias placato Argilio, (ut putabat) Lacedæmonem reverteretur, in itinere, cùm jam in eo esset, ut jam comprehenderetur: ex vultu cujusdam Ephori, qvi eum admonere cupiebat, insidias sibi fieri intellexit. Itaq; paucis antè gradibus, qvàm qvi sequebantur, in ædem Minervæ,

nervæ, qvæ Chalciœcus vocatur, confugit. Hinc ne exire posset, statim ephori valvas ejus ædis obstruxerunt, tectumq; sunt demoliti, qvò faciliùs sub dio interiret. Dicitur eo tempore matrem Pausaniæ vixisse, eamqve, jam magno natu, postqvàm de scelere filii comperit, in primis ad filium claudendum, lapidem ad introitum ædis attulisse, Sic Pausanias magnam belli gloriam turpi morte maculavit. Hic cum semianimis de templo elatus esset, confestim animam efflavit. Cujus mortui corpus cùm eodem nonnulli dicerent inferri oportere, qvo hi, qvi ad supplicium essent dati, displicuit pluribus: & procul ab eo loco infoderunt, in qvo erat mortuus. Inde posterius Delphici responso erutus, atqve in eo loco sepultus, ubi vitam finierat.

Pausanias.

UT Virtutibus eluxit. *Quanquam Virtus & Vitium adversa quasi fronte pugnant, interdum tamen utriusq; studia præstantia ingenia complectuntur. Nester de Alcibiade c. 7. nihil illo fuit excellentius, vel in vitiis, vel in virtutibus. In L. Catilina ingentibus Virtutibus ingentia vitia nexu quodam indissolubili copulata fuisse scribit Salust. in Bell. Catil.*

Satrapes Regius. *Præfecti sive Præsides Provinciarum à Persis ita dicti sunt, hodiè Chani vocantur. Aristoteli Satrapa δᾶλος μεγάλε βασιλέως, Servus magni Regis, puta Persici, opibus gratiaq; maximè florebant, hinc Terent. in Heaut. Satrapa si siet amator, sufferre hos sumtus haut possit. Suadentibus aliis, ut Mardonii corpus truncum palo infelici affigeretur, Pausanias illud humari jussit: Nam in mortuum sævire mos est barbarus. Illud memorabile est, quod refert Herod. l 3. quod Pausanias castris hostium & regia potitus supellectile coquos sibi cœnam, qualem Mardonio consuevissent, coquere jusse-*

jusserit; hinc lectos aureos, argenteas mensas laudissimumq; apparatum admiratus, suis mandârit ministris Laconicum apparare convivium, tum cæteris convocatis Ducibus utriusq; apparatum cœnæ ostendens, vos omnes, ait, convocavi, ut Ducis Medorum infantiam patefacerem, qvi, cum hujusmodi apparatu fruatur, ad nos, qvi talem habemus, accesserit. Ipse tamen sui & patriæ oblitus, qvam in Persis reprehendit luxuriam, paullò pòst sectatus est & imitatus. Ita fit, ut magis in aliis cernamus, quàm in nobismet ipsis, si qvid delinqvitur Cic. l. 1. Off.

Tripodem aureum. *Sunt tripodes ἔμπυροι, vasa ad aqvas calefaciendas, sunt ἄπυροι, pocula, mensæ aut sellæ trium pedum, qvalis & erat mensa Apollinis Delphici, scil. vas aureum lamina qvadam aurea instratum, in qva sedebat Pythia oracula fundens, cujus operculum seu integumentum erat æneum & vocabatur Cortina; hinc intelliguntur illa vulgaria: de tripode dictum, neq; te Phœbi cortina fefellit. DEUM Israëlis imitatus Satan simius, ut ille ab arca, hic de tripode responsa de-*

sa dedit consulentibus. Fuerunt & tripodes ἀναθηματικοὶ, qui ornatus caussa appendebantur in ædibus seu privatis, seu publicis.

Suo ductu. *Epigramma tripodi inscriptum tale fuisse perhibent:*

Neptuno Regi Virtutis munera donat,
Maxima cui paret Græcia Pausanias.

Propriæ laudes labes, unde & Cæsari à nonnullis vitio datum, quod de se ipso historiam contexuerit. Nimiùm sibi qui placet, stulto placet. Vid. prov. Astydamas seipsum laudat.

Elatius se gerere. *Quia victoria semper insolens & superba est, ut ait Cic. pro M. Marc. μεγάλην τὴν τύχην καταπίψαι ut loquitur Græcus, magnam fortunam concoqvere non potuit Pausanias & rebus secundis ab insolenti sibi temperare lætitia; imò regni inflammatus cupiditate, nefaria adversus patriam iniit consilia, ita ut pecuniæ, sic gloriæ cupiditas infinita est. Tu, qui sapis, Flaccum audiens l. 2. Carm. od. 10.*

Contrahes vento nimiùm secundo
turgida vela,

Xer-

Xerxi remisit, *nefando scelere libertatem Græciæ, fuso tot Heroum fortissimorum sanguine defensam, atrocissimo hosti, à quo auri quinquaginta talenta accepisse legitur, venalem offert Pausanias, virtute partam gloriam infami proditionis crimine polluens.*

— *Quid non mortalia pectora cogit*
Regni sacra fames?

Ita C. Cæsar omnia jura, divina & humana pervertit propter eum, quem sibi ipse opinionis errore finxerat, principatum, Cic. 1. Offic. cùm tamen potentum personata sit felicitas, ficta hilaritas, ut ait Sen. ep. 80. & Trag. in Oed.

Quisquamne regno gaudet? S. O fallax bonum!
Quantum malorum fronte quàm blanda tegis.

Byzantii ceperat. *Byzantium antiquum & nobile oppidum ad Bosphorum Thracium. Constantinus M. sedem huc Imperii transtulit, unde Constantinopolis dicta & Roma nova, metropolis Thraciæ, Turcis, à quibus occupata est A. C. 1453. Stambol dicitur.*

Cultum

Cultum vestitumq; mutavit. *Quemadmodum mulier cum veste pudorem exuit, ut ait Herod. l. 1. ita plerique mortalium cum veste splendida tumorem induunt. De Alexandro M. Curtius l. 6. Continentiam & Moderationem, in altissima quaq; fortuna eminentia bona in superbiam lasciviamq; vertebat veste sumta Persica superbiamq; habitus, animi insolentia sequebatur: ut autem hic patrios mores habitumq; civilem mutando, contemtum sibi odium & maturius exitium accelleravit, ita Pausanias: nam Insolentiæ comes ruina est. Cùm Cæsar rerum potitus paullò se insolentius gerebat & sedens patricii viros sanguinis excipiebat, Amicorum animos offendebat & haut multò post familiarium manu cadebat, qui hostium toties tela manusq; evaserat.*

More Persarum luxuriosius. *Persarum luxus in proverbium abiit Horat. od. 38. l. 1. Carm.*

Persicos odi puer apparatus.

Hodieq; Persarum Reges luxuriæ plus satis esse deditos patet ex Itiner. Olearii. Celebrata est Historicorum monumentis aurea

aurea platanus & aurea vitis racemos ex smaragdis habens, carbunculis indis aliisq; gemmis, sub quibus Persarum Reges sæpius sedentes jura dicebant. Athen. l. 12. c. 28. at Luxus immodicus animos effœminat, id quod Hannibal expertus, cujus militem antehac invictum Campanæ fregere deliciæ. Vid. Liv & Florus.

Cum Scytala miserunt. Σκυτάλη, *flagrum coriaceum.* σκύτος, *corium, Ita vocabant Lacedæmonii secretum epistolæ genus: nempe cum Imperatori suo arcani quippiam significatum volebant, surculos duos capiebant teretes, oblongos, ejusdem longitudinis pari crassamento, unum dabant Imperatori, alterum sibi reservabant; cùm itaq; secretiorum literarum usus veniebat, circum eum surculum lorum modicæ tenuitatis complicabant, ita ut oræ adjunctæ undiq; & cohærentes lori, quod plicabatur, coirent, literas deinde in eo loro per transversas junctura-rum oras scribebant, quas lori resolutio truncas & mutilas reddebat; illud itaq; lorum revolutum ex surculo Imperatori, commenti illius conscio, mittebant; qui cùm*

cùm accepisset, surculo suo id lorum, uti fieri debere sciebat, circumplicabat ac tùm literæ rursus coibant & epistolam integram præstabant, Gell. l.17. Noct. Att. c.9. & Plut: in Lys.

Se etiam pecunia. *Pecuniæ vis maxima est, unde Philippo R. Mac. consulenti, qvo pacto victoria posset potiri, Apollo Pythius respondit.*

Ἀργυρέαις λόγχαισι μάχου καὶ πάντα κρατήσεις

Argenteis hastis pugna & omnia vinces.

Germanus ita: Der güldene Hammer öfnet alle eyserne Thüren. *Ovid.*

Munera, crede mihi, placant hominesq; Deosq; Horat. od. 16. l.3. Carm.

Aurum per medios ire satellites
Et perrumpere amat saxa potentius
Jctu fulmineo &c.

Vid. apud Erasmum Proverbia: Pecuniæ obediunt omnia & Argentanginam patitur.

Ab ephoris in vincula. *Ephori, si vim vocis spectes, sunt Inspectores, à verbo* ἐφοράω, *inspicio. Apud Lacædemonios hi tales propemodùm erant, qvales Tribuni*

buni pl. apud Romanos: ut enim á Consulibus ad Tribunum, si qvis fortè civium premeretur, appellare poterat, ita à Regibus ad Ephoros. Scilicet cùm nimiam potentiam ferocire cernerent, tanqvam frenum, ut ait Plato, injecerunt ei Ephororum auctoritatem, qva impotens coërceretur dominatio.

Helotes. *Helos oppidulum erat Laconiæ, hujus incolæ Lacedemoniorum agros colebant, unde usus obtinuit, ut, qvicunqve ad servorum numerum accessissent, Helotæ appellarentur. Servi verò durioris jugi impatientes, libertatis spe ostensa, ad impia facilè consiliæ impelluntur: cum enim heros metuant, qvos metuunt, oderunt, qvosq; oderunt perisse expetunt. Cui non nota bella servilia, qvibus res Romanæ graviter afflictæ sunt? hinc proverbio dicitur: qvot servi, tot hostes.*

Sibi esse pereundum. *Traduntur Argilio literæ Bellerophontéæ, Urias* Brieffe. *Pausaniæ verò paullò pòst accidit, qvod dicitur l. 1. Hes. Op.*

Οἱ αὐτῷ κακὰ πυχει ἀνὴρ, ἄλλῳ κακὰ τυχών.
Sibi ipsi mala struit vir alteri mala struens.

Est Tænari. *Tænarus notissimum Laconiæ promontorium ingenti hiatu insigne, per quem ad infero descendi Poëtæ fabulantur. Ad aram confugit Argilius, ut patrati sibi sceleris conscius & paullo post Pausanias supplicii proditor metuens in ædem Minervæ se conjicit: nam Templa & Aræ Asyla erant, unde quemquam detrahere nefas putabatur. Hecuba l. 3. Æn.*

— — *Hæc Ara tuebitur omnes.*

Orare cœpit. *Suo ipsius indicio perit Pausanias, quasi sorex. ita quem sæpe transit casus, aliquando invenit. Sen. Trag.*

Chalcioecus. χαλκὸς æs, οἶκος domus ænea, ære sc. plurimo exornata: *Hic inclusus Pausanias sapientiam laudavit Simonidis, qui in convivio aliquando sapiens aliquod dictum proferre jussus ridens adjecerat μέμνησο ἄνθρωπος ὤν, memento te esse hominem. Æl. l. 9. Var. Hist. cap. 41.*

Ad filium claudendum, *Nec Parens filio*

filio parcit Proditori. Plutarchus ait Patrem Ageſilaum, usq; ad Chalcioecæ Palladis templum filium inſectatum, primùm cocto latere Templi fores obſtruxiſſe, ut inedia periret, Matrem verò inſepultum abjeciſſe.

Axiomata.

1. Luci tenebras, odores Sabæos mephiti miſcet, qui Virtutibus vitia temperat.
2. Res ſecundæ pariunt ſuperbiam, ea mores inquinat, parit odia, exitio mactat, ideoq; monito Tullii l. 1. Off. in rebus proſperis & ad voluntatem noſtram fluentibus, ſuperbiam magnoperè, faſtidium arrogantiamq; fugiamus, quantòq; ſuperiores ſumus tantò nos ſubmiſſimus geramus.
3. In maximis animis ſplendidiſſimisq; ingeniis plerumq; exiſtunt honoris, imperii, potentiæ, gloriæ cupiditates, Cic. 1. Off.
4. Si violandum eſt jus, regnandi cauſſa violandum eſt, aliis rebus pietatem colas. Ita ex Euripide Cæſar & cum eo Pauſanias dixiſſe videtur. 5. Se-

5. *Segetem nimia sternit ubertas, ad maturitatem non pervenit nimia fœcunditas; idem animis evenit, quos immoderata felicitas rumpita, Sen. ep. 39. omnium rerum successus exitium maturarunt Pausaniæ.*

6. *De magnis clarisq; viris non est suspicionibus judicandum, cæca est suspicio, ait Cæcinna l. 4. Ep. Fam. ad Cic. Fama persæpe vana est & rumor ἀδέσποτος mendax.*

7. *Rarò antecedentem scelestum*
Deseruit pede pœna claudo.
Horat. l. 3. od. 2. Culpam pœna premit comes od. 5. l. 4.

8. *Cari sunt Parentes, cari liberi, propinqui, familiares, sed omnes omnium caritates patria una complexa est, Cic. 1. Off.*

Pausanias.

PAusanias *magnis magaus Virtutibus, idem*
Flagitiis major, nec sine fraude, fuit.
Mar-

Mardonium vicit Satrapam, vicitq; Superbum
Victorem rigido durior hoste Tumor.
Hinc & amicitiam Xerxis malè providus ambit,
Gnatamq;, & Patriæ Proditor, atq; sui.
Sic partum Virtute decus tumidoq; triumpho
Ac famam maculat proditione Lacon.
Sed qvid? in Æde sacra, non aversante Parente,
Clausus, perfidiæ præmia digna capit.

CIMON.

CIMON Miltiadis filius Athenienſis, duro admodum initio uſus eſt adoleſcentiæ. nam cùm pater ejus litem æſtimatam populo ſolvere non potuiſſet, ob eamq; cauſam in vinculis publicis deceſſiſſet, Cimon eadem cuſtodia tenebatur, neqve legibus Athenienſibus emitti poterat, niſi pecuniam, qva pater multatus eſſet, ſolviſſet. Habebat autem in matrimonio ſororem germanam ſuam, nomine Elpinicen, non magis amore, qvàm patrio

trio more ductus. nam Athenienſibus licet eodem patre natas uxores ducere. Hujus conjugii cupidus Callias qvidam, non tam generoſus, qvàm pecunioſus, qvi magnas pecunias ex metallis fecerat, egit cum Cimone, ut eam ſibi uxorem daret. id ſi impetraſſet, ſe pro illo pecuniam ſoluturum. Is cùm talem conditionem aſpernaretur, Elpinice negavit ſe paſſuram Miltiadis progeniem in vinclis publicis interire: qvoniamqve prohibere poſſet, ſe Calliæ nupturam, ſi ea, qvæ polliceretur, præſtitiſſet. Tali modo cuſtodia liberatus Cimon, celeriter ad principatum pervênit. Habebat enim ſatis eloqventiæ, ſummam liberalitatem, magnam prudentiam cùm juris civilis, tum rei militaris, qvòd cum patre à puero in exercitu fuerat verſatus. Itaqve hic & populum urbanum in ſua tenuit poteſtate, & apud exercitum plurimum valuit auctoritate. Primùm Imperator apud flumen Strymona magnas copias Thracum fugavit: oppidum Amphipolim conſtituit, eoqve decem millia Athe-

Athenienſium in coloniam miſit. Idem iterum apud Mycalem Cyprorum & Phœnicum ducentarũ navium claſſem devictam cepit, eodemqve die pari fortuna in terra uſus eſt, namqve hoſtium navibus captis, ſtatim ex claſſe copias ſuas eduxit, barbarorumqve uno concurſu maximam vim proſtravit. Qva victoria magna præda potitus cùm domum reverteretur, qvòd jam nonnullæ inſulæ, propter acerbitatem imperii defecerant, bene animatas confirmavit, alienatas ad officium redire coegit, Scyrum, qvam eo tempore Dolopes incolebant, qvòd contumacius ſe geſſerat, vacuefecit, Poſſeſſores veteres urbe, inſulaqve ejecit, agros civibus diviſit: Thaſios opulentia fretos, ſuo adventu fregit. His ex manubiis Athenarum arx, qva ad meridiem vergit, eſt ornata. Qvibus rebus cum unus in civitate maximè floreret, incidit in eandem invidiam, qvam pater ſuus, cæteriq; Athenienſium principes. nam teſtarum ſuffragiis, qvod illi oſtraciſmũ vocant, decem annorum exilio multa-

tus est. Cujus facti celeris Athenienses, qvàm ipsum, pœnituit. nam, cùm ille forti animo invidiæ ingratorum civium cessisset, bellumqve Lacedæmonii Athenienſibus indixiſſent, confestim notæ ejus virtutis desiderium consecutum est. Itaqve post annum qvintum, qvo expulsus erat, in patriam revocatus est. Ille, qvòd hospitio Lacedæmoniorum utebatur, satius existimans eos, & cives suos inter se una voluntate consentire, qvàm armis contendere, Lacedæmonum sua sponte est profectus, pacemq; inter duas potentissimas civitates conciliavit. pòst neq; ita multo in Cyprum cum ducentis navibus imperator missus, cùm ejus majorem partem insulæ deviciſſet, in morbum implicitus, in oppido Citio est mortuus. Hunc Athenienses non solùm in bello, sed in pace diu desideraverunt. Fuit enim tanta liberalitate, cùm compluribus locis prædia, hortosq; haberet, ut nunqvam eis custodem imposuerit fructus servandi gratia, ne qvis impediretur, qvò minus ejus rebus,

rebus, qvibus vellet, frueretur. Semper eum pediſſeqvi cum nummis ſuæ ſecuti, ut, ſi qvis opis ejus indigeret, haberet, qvod ſtatim daret, ne differendo videretur negare. Sæpe, cùm aliqvem offenſum fortuna videret minus bene veſtitum, ſuum amiculum dedit. Qvotidiè ſic cœna ei coqvebatur, ut, qvos invocatos vidiſſet in foro, omnes devocaret: qvod facere nullum diem prætermittebat. Nulli fides ejus, nulli opera, nulli res familiaris defuit: multos locupletavit: complures pauperes mortuos, qvi, unde efferrentur, non reliqviſſent, ſuo ſumptu extulit. Sic ſe gerendo minimè eſt mirandum, ſi & vita ejus fuit ſecura, & mors acerba.

Cimon.

LItem æſtimatam. *Lis æſtimata dicitur pecunia, de qva lis fuit, & propter qvam aliqvis damnatus eſt, in ſummam redacta, aut ſumma, qvam aliqvis capitis damnatus, mulctæ nomine pendere*

tenetur. Supra in Mult. lis, de qvah. l. sermo, qvinqvaginta talentis æstimata esse dicitur.

Cimon ead. custodia. *Plutarchus ait, Cimonem insigni pietate impulsum, ut Patrem in vinculis mortuum ad sepulturam redimeret, ultrò in nervos ivisse, Val. Max. l. 5. c. 4. ne te qvidem, Cimon, silentio involvam, qvi Patri tuo sepulturam voluntariis vinculis emere non dubitâsti, plus aliqvanto laudis in carcere, qvàm in curia assecutus es: cæteræ enim Virtutes admirationis tantummodò multùm, pietas verò etiam amoris plurimùm meretur.*

Sororem germanam. *Nobiliores Critici intelligunt ὁμοπάτριον: germanos enim dici eodem germine i. e. Patre prognatos, neq; illa Fratrum distinctio in Germanos, Consanguineos, Uterinos à classicis Scriptoribus semper observatur. Virg. l. 5. Æn. Erycem filium Butæ & Veneris atq; ita Æneæ Fratrem uterinum germanum appellat. Plutarchus Cimoni sororem nupsisse dicit Elpinicem, eo qvod ob inopiam pro generis dignitate sponsum reperire non potuerit.* Callias

Callias qvidam. *Cœcus est Plutus, ut Poetæ fabulantur, ad indignos interdum divertitur, qvandoq; sic pecunia in qvosdam homines, ut denarius in cloacam (sit venia dicto) cadit. Sen. ep. 87. attamen stultitiam tegunt opes,*

Et genus & formam Regina pecunia donat.

Horat. l. 1. ep. 6. Vulgi opinione

Virtus, fama, decus, divina humanaq; pulchris
Divitiis parent, qvas qvi construxerit ille
Clarus erit, fortis, justus, sapiens etiam & Rex
Et qvicqvid volet.

Id. l. 2. Serm. Sat. 3. & Sat. 5.

Et genus & virtus, nisi cum re vilior alga est.

Calliæ nupturam. *Conjugii jura à Gentilibus minus religiosè esse observata, exemplo patet Elpinices: ita Cato minor amico suo Hortensio petenti concessit Martiam uxorem haut invitus. Plut. in Cat. Cicero Terentiam suam mulierem morosam & imperiosam dimisit & Publiliam virginem*

nem duxit cum summa dote, ut ære alieno solvendo esset; cum eadem tamen Tullia suæ morte lætari visa haut multò pòst divortium fecit. Juv. Sat. 6.

Tres rugæ subeant & sectis arida laxet,
Fiant obscuri dentes oculiq; minores,
Collige sarcinulas, dicet Libertus, & exi,
Jam gravis es nobis & sæpè emungeris, exi.

Satis eloqventiæ. *Qvanqvam Cimon adolescens vinolentia sibi & lascivia aliquam infamiam contraxit, tardus etiam & stupidus ob stuporem dictus κοάλεμος, amens, fatuus, magnæ tamen virtutis fama hanc maculam eluit, nec fortitudine Miltiadæ Patri, nec prudentia Themistocli qvicqvam concedens, tàm benigne sermone tamq; blandis moribus, ut hac via facilè Principum sibi plebisq; gratiam conciliârit & ope cum primis Aristidæ adjutus, amplissimum dignitatis gradum adscenderit, sapiens non minus, qvàm eloqvens. Ita pessimè qvandoq; incipiunt, qvi optimè finiunt, finiunt pessimè, qvi cœperunt optimè.*

Flumen Strymona. *Strymon & Hebrus*

brus sunt notissimi Thraciæ fluvii, & ille quidem Thraciam à Macedonia separat. Cum Cimon cognovisset in oppido Eione ad Strymonem sito nobiles quosdam Persas commorari & Thracum adjutos opibus Græciæ fines infestare, Persas acie primùm vicit, posteà Thraces sedibus suis expulit & compulsos intra mœnia hostes commeatu intercluſit, regiumq; Ducem Buten coëgit rebus desperatis tectis flammam subdere, seq; cum amicis & rebus suis concremare, Plut. in Cim.

Maximam vim prostravit. Uno die gemina victoria Cimon potitus, navali prælio Salaminium, terrestri Platæense decus æqvavit. Scilicet victoriam prudenter persecutus, hostem infelicis pugnæ nuntio conterritum illicò invasit, prudentior Hannibale, qvi si cruentum à clade Cannensi militem Romam abduxisset, Tarpejas arces nullo negotio expugnasset, hinc Maharbal Equitum Præfectus inqviebat: vincere scis Hannibal, victoria uti nescis.

Scyrum. Hæc insula est in mari Ægéo, in qva regnavit olim Lycomedes, apud qvem Thetidos matris imperio Achilles pu-

ellari indutus habitu delituit. Ulyssis astutia repertus & in bellum protractus. Thasus Thraciæ adjacens insula vini vitiumq; feracissima, unde vitis à Pœtis Thasia dicitur.

In eandem invidiam. Uti paternæ virtutis, ita invidiæ & calamitatis hæres quasi extitit Cimon: nam quemadmodum edentuli vescentium invident dentibus, ita claris Virtute viris, quos opinione sua altius evolasse vident, abjecta viliáq; hominum genera invident. De Ostracismo vid. Arist.

Civium cessisset. Plebis furori cedere, neq; adversus stimulum, quod ajunt, calces jactare, prudentia summa est, uti alias cedendo vincere honestissimum victoriæ genus esse dicitur. Plato, ut est apud Cic. l. 1. c. 9. ad Fam. non attigit Rempubl. ideo quod, cum offendisset populum Atheniensem propè desipientem senectute, persuaderi eum posse diffideret, cogi fas non esse arbitraretur, cùm vis neq; Parenti, neq; Patriæ sit afferenda.

Civitates conciliavit. Cùm Patriæ Cimon faveret, neq; Spartæ malè cuperet, quæ exuli portus & perfugium fuerat, etiam cerne-

cerneret, non sine gravissima noxa utramq; Civitatem bello se esse expediturum, pacis auctor extitit & Athenienses otii impatientes in bella adversus barbaros gerenda armavit atq; animavit: nam omnia misera in bellis civilibus, Cic. l. 4. ep. 9. & ep. 16. l. 2. ad Famil. nihil malui, quàm pacem, ea desperata, nihil tàm fugi, quàm arma civilia.

- - - - Pax una triumphis
Innumeris potior.

Scipio unum civem servare maluit, quàm mille hostes perdere.

In oppido Citio mortuus est. Morbo, vel ut alii malunt, ex vulnere mortuus est Cimon, de qua morte somnio antè, quàm Athenis exiit, monitus est: per somnium enim vidit canem sese allatrantem & latratui hanc vocem miscentem:

Σεῦχε φίλος γὰρ ἔσῃ κοὐ ἐμοὶ καὶ ἐμοῖς σκυλάκεσσι.

Vade: amicus enim eris & mihi & meis catulis.

Astyphilus Vates mortem ipsi hoc somnio denuntiari prædixit: nam canis est homini, quem allatrat, hostis; hosti autem nulla

ratione potius, quàm defunctus amicus efficiaris, neq; eventus Interpretem refellit. Legatos etiam miserat ad Ammonis Templum, Jovem de belli exitu consulturos, sed respondit mendax spiritus, Cimonem jam apud se esse, neq; quicquam præterea responsi reddidit, qui ad suos reversi cognoverunt Cimonem iisdem esse temporibus mortuum.

Fuit tanta Liberalitate. Blandè dicere, benignè facere Principis est, qui tristem à se haut quemquam dimittat, uti dicere solitus est T. Vespasianus. Cimon verè liberalis est, qui 1. Dat. Lingva factiosi, inertes opera, ut Plautus loquitur, non placent. Si cui ex animo velis factum benè, inquit Scaliger, addas operam, sola cadaver est voluntas.

2. Egenti dat: qui enim iis potissimum donant, qui donare maximè possunt, hos egestatis hamatisq; muneribus non sua promere puto, sed aliena corripere, ait Plin. l. 7. ep. 9. Beneficia fœnerari inhonestum est. 3. Citò dat: nam gratia, quæ tarda est, ingrata est, ut habet Pœta.

Gratiaq; officio, quod mora tardat, abest.

Ingratum est beneficium, quod diu inter manu

manus dantis hæsit, Sen. l. 2. de Benef. c. 1. & l. 1. c. 2. Dedit, sed dubitavit, sed distulit, sed cùm daret, gemuit, sed superbè dedit. Ambitioni dedit, non mihi. Qualis Cimon, talis extitit Gillias Agrigentinus, cujus domus, ut ait Val. Max. l. 5. c. 8. quasi quædam Munificentiæ officina credebatur, quodq; ille possidebat, omnium quasi commune patrimonium erat.

Offensum fortuna. Alii sic exponunt: offensum fortuna i. e. cui fortuna esset iratior, quæ expositio videtur dura & insolens, ideoq; alii ita intelligunt aliquem offensum i. e. obviam factum fortunâ videret minus benè vestitum, 2. ob iniquitatem fortunæ.

Invocatos i. non vocatos. Ita Parasitus apud Ter. Act. 5. Sc. 9. Eun. postulo, ut tua mihi domus, te præsente, absente pateat, invocato ut sit locus semper.

Axiomata.

1. Quod Parentes intrivere, liberis quandoq; exedendum est, ita Cimon paternæ calamitatis, quanquam innocens in eam Pater inciderat, hæres extitit.
2. Exempla domestica maximè movent ac

felicissimè informant. Cimon cum Patre à puero in exercitu versatus domi habuit, unde disceret: Æneas ad Ascanium:

Disce, puer, Virtutem ex me verumq́ laborem,
Te Pater Æneas & avunculus excitet Hector.

Cimon sanè docuit, qvid mens ritè, qvid indoles nutrita faustis sub penetralibus, possit, ut loquitur Horat. od. 4. l. 4. car. 3. Nihil in bello differendum, cùm occasio rei benè gerendæ offertur. Obtinet hic illud Hesiodi l. 2. Op.

Ἀεὶ ἀμβολιεργὸς ἀνὴρ ἄταισι παλαίει.
Semper vir differens cum damnis luctatur.

4. *Melior est certa Pax, qvàm sperata victoria. Galeatum serò duelli pœnitet. Mea sententia paci, qvæ nihil habitura sit insidiarum, semper est consulendum Cic l. 1. Off.*

5. *Viri liberalis & vita secura & mors acerba est. Contrà Avarum non Uxor salvum vult, non filius. Horat. Sat. 1. l. 1.*

l. 1. Serm. Arcas inexorabilibus clauſtris obſeratas, ut loqvitur Valerius, qvis laudet?

Cimon.

CEcropias primos inter decoravit Athenas
Togæ ſagiq; clarus Artibus Cimon,
Miltiadæ ſuboles.
Carceris emiſſus ſqvalore, ultricibus armis
Fugatq; Thraces inſulasq; patrio
Subjicit imperio.
Tantis inſignem meritis Heroa, (nefandum!)
Ingrata multat Oſtraciſmo Civitas,
Qvemq; fugat, revocat.
Ille redux Spartam placat pacemq; reducit
Mireq; in omnes liberalis re, fide
Atq; opera, moritur.

LYSANDER.

LYSANDER Lacedæmonius magnam reliqvit ſuam famam magis felicitate, qvàm virtute partam. Athenienſes enim in Peloponneſios ſexto & vi-

gesimo anno bellum gerentes confeciſſe apparet. Id qva ratione conſecutus ſit, latet: non enim virtute ſui exercitus, ſed immodeſtia factum eſt adverſariorum: qvi qvòd dicto audientes imperatoribus ſuis non erant, diſpalati in agris, relictis navibus in hoſtium venerunt poteſtatem, qvo facto Athenienſes ſe Lycedæmoniis dediderunt. Hac victoria Laſander elatus, cum antea ſemper factioſus, audaxqve fuiſſet, ſic ſibi indulſit, ut ejus opera in maximum odium Græciæ Lacedæmonii pervenerint. Nam cùm hanc cauſam Lacedæmonii dictitaſſent ſibi eſſe belli, ut Athenienſium imporentem dominationem refringerent, poſtqvam apud Ægos flumen Lyſander claſſis hoſtium eſt potitus, nihil aliud his actionibus molitus eſt, qvàm ut omnes civitates in ſua teneret poteſtate, cùm id ſe Lacedæmoniorum cauſa facere ſimularet; namqve undiqve qvi Athenienſium rebus ſtuduiſſent, ejectis, decem delegerat in una qvaqve civitate, qvibus ſummum imperium, poteſtatemqve omnium rerum

rum committeret. horum in numero nemo admittebatur, nisi qvi aut ejus hospitio contineretur, aut se illius fore proprium fide confirmarat. Ita decemvirali potestate in omnibus urbibus constituta, ipsius nutu omnia gerebantur: cujus de crudelitate ac perfidia satis est unam rem, exempli gratia, proferre, ne de eodem plura enumerando, defatigemus lectores. Victor ex Asia cùm reverteretur, Thasumqve divertisset, qvòd ea civitas præcipua fide fuerat erga Atheniensis, proinde ac si iidem firmissimi solerent esse amici, qvi constantes fuissent inimici, eam pervertere concupivit. vidit autem, nisi in eo occultasset voluntatem, futurum ut Thasii dilaberentur, consulerentqve suis rebus.

Desideratur hic exemplum Lysandri crudelitatis, & perfidiæ in Thasios.

Itaqve decemviralem suam potestatem sui ab illo constitutam sustulerunt, qvo dolore incensus iniit consilia, reges Lacedæmoniorum tollere, sed sentiebat id se sine ope deorum facere non posse, qvòd Lacedæmonii omnia ad oracula refer-

referre consveverant. Primùm, Delphos corrumpere est conatus. Cùm id non potuisset, Dodonam adortus est. Hinc qvoqve repulsus dixit, se vota suscepisse, qvæ Jovi Ammoni solveret, existimans se Afros faciliùs corrupturum. Hac spe cùm profectus esset in Africam, multùm eum antistites Jovis fefellerunt, nam non solùm corrumpi non potuerunt, sed etiam legatos Lacedæmona miserunt, qvi Lysandrum accusarent, qvòd sacerdotes fani corrumpere conatus esset. Accusatus hoc crimine, judicumqve absolutus sententiis, Orchomeniis missus subsidio, occisus est à Thebanis apud Haliartum. Qvàm verè de eo foret judicatum, oratio indicio fuit, qvæ post mortem in domo ejus reperta est, in qva svadet Lacedæmoniis, ut regia potestate dissoluta, ex omnibus dux deligatur ad bellum gerendum, sed ita scripta, ut deorum videretur congruere sententiæ, qvam ille se habiturum, pecunia fidens, non dubitabat. hanc ei scripsisse Cleon Halicarnassæus dicitur. Atqve hoc loco non est prætereun-

tereundum factum Pharnabazi satrapis regii. nam cum Lysander præfectus classis in bello multa crudeliter, avareqve fecisset, deqve his rebus suspicaretur ad cives suos esse perlatum, petiit à Pharnabazo, ut ad Ephoros sibi testimonium daret, qvanta sanctitate bellum gessisset, sociosqve tractasset, de eaqve re accuratè scriberet. magnam enim ejus auctoritatem in ea re futuram. Huic ille liberaliter pollicetur. librum gravem multis verbis conscripsit, in qvo summis eum effert laudibus. qvem cùm legisset, probassetqve, dum obsignatur, alterum pari magnitudine, ut discerni non posset, signatum subjecit: in qvo accuratissimè ejus avaritiam, perfidiamq; accusarat. Hinc Lysander domum cùm rediisset, postqvàm de suis rebus gestis apud maximum magistratum, qvæ voluerat, dixerat, testimonii loco librum à Pharnabazo datum tradidit. Hunc, summoto Lysandro, cùm Ephori cognossent, ipsi legendum dederunt. Ita ille imprudens suus ipse fuit accusator.

Lysan-

Lysander.

BEllum gerentes confeciſſe. *Diuturnum hoc bellum multis variis caſibus & cladibus inſigne, una hora confecit Lyſander, cum Philocles Prætor conſilia Alcibiadis reſpuiſſet. Vid. cap. ſeq. Philocles ille auctor fuerat Athenienſibus decernendi, utbelli captis omnibus dexter pollex præcideretur, quo lanceam ferre non poſſent, at ipſe cum tribus millibus captus in hoſtium poteſtatem ut venit, interrogatus eſt à Lyſandro, quid ſe meritum putaret tàm atrocis auctorem ſententiæ, reſpondit intrepidus: ne crimina objice, quorum nemo eſt judex, ſed ea Victor age, quæ eras paſſurus victus, hinc ſplendida amictus chlamyde, primus ad cervicem præbendam ciues ſuos antecesſit. Plut. in Lyſ.*

Lacedæmoniis dediderunt. *Ad ultimam redacti deſperationem Lyſandri victoria Athemenſes, obſeſſi inſuper, fame urgente, pacem petiere, quam cùm alii negarent dandam eſſe, rati delendum eſſe nomen Athenienſium, Spartani negarunt alterum ſe ex oculis Græciæ eruturos; pax itaq; data eſt petentibus, ſed ea conditione,*

ut muri partem ipsi dejicerent, reliquias navium traderent & triginta Rectores acciperent. Ferunt Lysandrum muros dirui jussisse ad cantum tibiarum sociis coronatis spectantibus & ovantibus. Væ victis!

Impotentem Dominationem *i.e superbam & intolerabilem. Aliàs impotens dicitur, qui iræ, amori cæterisq; animi cupiditatibus moderari nescit. Ter. Act. 2. Sc. 2. Heaut. Ego novi te, quàm esse soleas impotens. Lætioribus rerum successibus elati Athenienses, immoderatius, ita, ut fit, sese gerendo odium sibi conflaverant, in socios æquè atq; hostes acerbi & crudeles. Præclarè Sen. in Troad. Quo fortuna altius evexit ac levavit humanas opes, hoc se magis supprimere felicem decet variosq; casus tremere metuentem Deos nimium faventes.*

Ipsius nutu. *Bellica Virtute quæsitam gloriam famamq; fastu Lysander & arrogantia maculavit, ut in dubio ponatur, majorné an pejor vir haberi debeat, uti de Hannibale loquitur Val. Max. l. 9. c. 6. Multæ ei Civitates aras erexerunt, ut Deo,*

& vi-

& victimas immolârunt. Individuum habuit comitem Chœrilum Poëtam, qui res ab ipso gestas carmine celebraret. Antilocho, qui aliquot in laudem ejus versus condiderat, pileum argenti plenum dedit. Plut. in Lys.

Thasii dilaberentur. Quæ hic omissa sunt, ita complenda: Cùm Thasii Atheniensium amici iram & crudelitatem Lysandri metuentes ad latebras confugissent, omnibus ad Herculis Templum quod incolis erat religiosissimum, convocatis spem veniæ fecit ac teste ipso DEO, ad cujus Templum jussi convenerant, pollicitus est se parsurum progressis, creditum est, prodiere miseri, quos paullò post nihil mali suspicantes adortus, omnes interfecit. Ita Milesiis infensus, ut delitescentes extraheret, juravit eos se non esse violaturum, progressos autem necari jussit homo impiè perfidus ac perjurus

Delphos corrumpere. Eodem pene animo fuit Lysander, quo Philippus Rex Maced. qui auro diffidit Urbium portas Horat. od. 16. l. 3. cumq; munitissimæ cujusdam arcis aliquando facta est mentio, quæ-

qvæsivit, an ejus mœnia aurum transcendere posset, ratus expugnabilem facilè esse, qvæ auro pateret, at Lysander præter spem offendit Sacerdotes (qvod hominum genus aliàs avaritiæ plerumq́ crimine laborat) abstinentes ducentis ad se cuncta pecuniæ. Hor. od. 9. l. 4. Pluribus locis Satanas responsa suis reddidit Cultoribus eaq́ dicta sunt Oracula. Antiqvissimum Dodonæum fuit in Epiro. Dodona Urbs qvercetis septa, unde Virg. 1. Georg. victum Dodona negavit. i. e. repertis frugibus homines vesci glandibus desiere, Æs Dodonæum homo molestè garrulus. Vid. Adag. Erasm. Alterum Jovis Ammonis, cui illustre Templum erat extructum in arenis Africæ (ἡ ψάμμος vel ἄμμος, arena) Hic Jovis effigies colebatur arieti umbilico tenus similis, Smaragdo & gemmis coagmentata. Erat & hic fons solis, cujus aqva sub ortum solis tepida, medio die frigida fluebat, inclinata in vesperam calescebat & media nocte fervida exæstuabat. Curt. l. 4. Tertium erat Pythium Delphis, qvo de supra. Hæc oracula, JEsu nato conticuere, vid. Peucer. de Divinat. Docet

cet hic locus Vates quandoq; muneribus corruptos responsa ad voluntatem consulentis attemperâsse, neq; dubium est, qvin donis corruptus Vates Alexandrum M. Jovis filium salutaverit, qvæ res insolenti ansam arrogantiæ præbuit.

Oratio inditio fuit. *Hanc cùm Agesilaus Rex in concionem afferre voluit, ostensurus populo, qualis in operto civis fuerit Lysander, Lacratidas Ephorus dissuasit monuitq;, ne refoderet Lysandrum, sed orationem cum eo defoderet tàm artificiosè astuteq; conscriptam, Plut. in Lys. Scilicet velare humanius est, qvàm revelare defunctorum peccata, cum Umbris rixari stultum est.*

Perfidiamq; accusârat. *Ita mirus simulandi dissimulandiq; artifex, simulata capitur amicitia qvi q; perfidè multa egerat & subleste homo fidei blando sæpe alloqvio fictaq; fronte fellerat, miserè fallitur & in eosdem, qvos alios struxerat, casses incidit. Plerumq; DEO vindice culpæ pœna congruit.*

Axiomata.

1. *Invisa nunquam imperia retinentur diu*

diu Sen. in Thyest. Experti id sunt Athenienses & ipse Lysander.

2. *Felicitatis & Moderationis dividuum contubernium est ait Val. Max. l. 9. c. 5. ita Lysander quò felicior, eò fuit insolentior.*

3. *Malè res agitur, cùm id, quod effici Virtute debet, tentatur pecunia, Cic. l. 2. Off.*

4. *Fronti nulla fides. Fronte & vultu facillimè simulatio sustinetur Cic. l. 1. ad Fam. ep. 9. Exemplo id suo probavit Pharnabazus.*

5. *Lysandri fuere sententiæ: Vulpina assumenda est, si leonina nulli sit usui & viros perjuriis, ut pueros talis, esse fallendos.*

Lysander.

Sortis benignæ munere, non sua
Virtute notus, conterit atticas
Vires, ademta Classe Athenas
Servitio jubigens Lysander.
Suisq; rebus, non Patriæ studens,
Dolo remotis, regia, Regibus
Ambit tyrannus Sceptra, vimq;
Temperat arte, homo versipellis.

Dodo-

Dodonateſtis cum Libyco Jove
Phœbusq, Vatum munere geſtiens
Reſponſa mercari, ſed horum
Proditus indicio, Lyſander,
Bello periſti Thebaico, prius
Dux Pharnabazi pellepidè Ducis,
Fraudum architectus, fraude captus,
Sic ſua pœna manet nocentes.

ALCIBIADES.

ALCIBIADES Cliniæ filius, Athenienſis. In hoc natura, qvid efficere poſſit, videtur experta. Conſtat enim inter omnes, qvi de eo memoriæ prodiderunt, nihil illo fuiſſe excellentius vel in vitiis, vel in virtutibus. Nam in amplisſima civitate, ſummo genere, omnium ætatis ſuæ multo formoſisſimus, ad omnes res aptus, conſiliiqve plenus, Namqve imperator fuit ſummus mari & terra, diſertus, ut imprimis dicendo valeret: & tanta erat commendatio oris, atqve orationis, ut nemo ei dicendo poſſet reſiſtere. Idem cùm tempus poſceret, laborioſus, patiens, liberalis, ſplendidus, non minus in

in vita, qvàm victu: affabilis, blandus, temporibus callidisſimè inſerviens. Idem ſimul ac ſe remiſerat, nec cauſa ſuberat, qvare animi laborem perferret, luxurioſus, diſſolutus, libidinoſus, intemperans reperiebatur, ut omnes admirarentur, in uno homine tantam ineſſe diſſimilitudinem, tamqve diverſam naturam. Educatus eſt in domo Periclis, (privignus enim ejus fuiſſe dicitur) eruditus à Socrate, ſocerum habuit Hipponicum, omnium Græcorum diſertiſſimum, ut ſi ipſe fingere vellet, neqve plura bona reminiſci, neqve majora poſſet conſeqvi, qvàm vel fortuna, vel natura tribuerat. Ineunte adoleſcentia amatus eſt à multis more Græcorum: in eis à Socrate, de qvo mentionem facit Plato in ſympoſio, namq; eum induxit commemorantem ſe pernoctaſſe cum Socrate, neqve aliter ab eo ſurrexiſſe, ac filius à parente debuerit. Poſteaqvàm robuſtior eſt factus, non minus multos amavit, in qvorum amore, qvoad licitum eſt, odioſa multa delicatè, jocoſeqve fecit: qvæ referemus

remus, nisi majora potioraqve habe-
III. remus. Bello Peloponnesiaco hujus consilio atqve auctoritate Athenienses bellum Syracusanis indixerunt, ad qvod gerendum ipse dux delectus est. Duo præterea collegæ dati, Nicias & Lamachus. Id cùm appararetur, prius qvàm classis exiret, accidit, ut una nocte omnes Hermæ, qvi in oppido erant Athenis, dejicerentur, præter unum, qvi ante januam Andocidis erat, Andocidisqve Hermes vocatus est. hoc cùm appareret, non sine magna multorum consensione esse factum, quod non ad privatam, sed ad publicam rem pertineret, magnus multitudini timor est injectus, ne qva repentina vis in civitate existeret, qvæ Populi libertatem opprimeret. Hoc maximè convenire in Alcibiadem videbatur, qvòd & potentior & major, qvàm privatus, existimabatur. Multos enim liberalitate devinxerat, plures etiam opera forensi suos reddiderat. Qvare fiebat, ut omnium oculos, qvotiescunqve in publicum prodisset, ad se converteret, neqve ei par qvis-

qvam

qvam in civitate poneretur. Itaq; non solùm spem in eo habebant maximam, sed etiam timorem, qvòd & obesse plurimùm & prodesse poterat. Aspergebatur etiam infamia, qvod in domo sua facere mysteria dicebatur: qvod nefas erat more Athenienſium: idqve non ad religionem, sed ad conjurationem pertinere existimabatur. Hoc crimine IV in concione ab inimicis compellabatur. Sed instabat tempus ad bellum proficiscendi. Id ille metuens, neqve ignorans civium suorum consvetudinem, postulabat, ut, si qvid de se agi vellent, potius de præsenti qvæstio haberetur, qvàm absens invidiæ crimine accusaretur. Inimici verò ejus qviescendum in præsenti: qvia nocere se ei non posse intelligebant, & illud tempus expectandum decreverunt, qvo exisset, ut sic absentem aggrederentur. Itaqve fecerunt. Nam postqvàm in Siciliam eum perveniſſe crediderunt, absentem, qvòd sacra violasset, reum fecerunt, qvadere cùm ei nuncius à magistratu in Siciliam missus esset, ut domum ad

causam dicendam rediret, essetqve in magna spe provinciæ benè administrandæ, non parere noluit, & in triremem, quæ ad eum deportandum erat missa, ascendit, ac Thurios in Italiam pervectus, multa secum reputans de immoderata civium suorum licentia, crudelitateq; erga nobiles, utilissimum ratus impendentem evitare tempestatem, clàm se à custodibus subduxit, & inde primùm Elidem, deinde Thebas venit. Postqvam autem se capitis damnatum bonis publicatis audivit, & id qvod usu venerat, Eumolpidas & Cerycas à populo coactos, ut se devoverent, ejusqve devotionis, qvo testatior esset memoria, exemplum, in pila lapidea incisum, esse positum in publico, Lacedæmonem demigravit. Ibi ut ipse prædicare consveverat, non adversus patriam, sed inimicos suos bellum gessit, qvòd iidem hostes essent civitati, nam cùm intelligerent se plurimùm prodesse reipublicæ, ex ea ejecisse, plusqve iræ suæ, qvàm utilitati communi paruisse. Itaqve hujus consilio Lacedæmo-

dæmonii cum Persarum rege amicitiam fecerunt: deinde Deceliam in Attica munierunt, præsidioqve perpetuo ibi posito in obsidione Athenas tenuerunt. Ejusdem opera Ioniam à societate averterunt Athenienſium. qvo facto, multo superiores bello esse cœperunt. Neqve verò his rebus tam amici Alcibiadi sunt facti, qvàm timore ab eo alienati. Nam cùm acerrimi viri præstantem prudentiam in omnibus rebus cognoscerent, pertimuerunt ne caritate patriæ ductus aliqvando ab ipsis desciſceret, & cum suis in gratiam rediret. Itaqve tempus ejus interficiendi qværere instituerunt Id Alcibiadi diutius celari non potuit, erat enim eâ sagacitate, ut decipi non posset, præsertim, cùm animum attendisset ad cavendum. Itaq; ad Tissaphernem præfectum regis Darii se contulit: cujus cùm in intimam amicitiam perveniſſet, & Athenienſium malè gestis in Sicilia rebus, opes seneſcere, contrà Lacedæmoniorum creſcere videret: initiò cum Piſandro prætore, qvi apud Samum exercitum habebat,

V.

bebat, per internuntios colloqvitur, & de reditu suo facit mentionem. Erat enim eodem, qvo Alcibiades, sensu, populi potentiæ non amicus, & optimatum fautor. Ab hoc destitutus, primùm per Thrasybulum Lyci filium, ab exercitu recipitur, prætorqve fit apud Samum: post suffragante Theramene plebiscito restituitur, pariqve absens imperio præficitur simul cum Thrasybulo & Theramene. Horum imperio tanta commutatio rerum facta est, ut Lacedæmonii, qvi paulò antè victores viguerant, perterriti pacem peterent; victi enim erant qvinqve præliis terrestribus, tribus navalibus: in qvibus ducentas naves triremes amiserant, quæ captæ in hostium venerant potestatem. Alcibiades simul cum collegis receperat Ioniam, Hellespontum, multas præterea urbes Græcas, qvæ in ora sitæ sunt Asiæ, qvarum expugnaverant complures; in his Byzantium, neqve minus multas consilio ad amicitiam adjunxerāt, quòd in captos clementia fuerāt usi. In præda onusti, locupletato, exercitu maxi-

maximis rebus gestis Athenas venerunt. VI.
His cùm obviam universa civitas in Pyræeum descendisset, tanta fuit omnium expectatio visendi Alcibiadis, ut ad ejus triremem vulgus confluueret, perinde ac si solus advenisset. sic enim populo erat persvasum, & adversas superiores, & præsentes secundas res accidisse ejus opera. Itaqve & Siciliæ amissum, & Lacedæmoniorum victorias culpæ suæ tribuebant, qvòd talem virum è civitate expulissent. Neqve id sine causa arbitrari videbantur. nam postqvàm exercitui præesse cœperat, neqve terra, neqve mari hostes pares esse potuerunt. Hic, ut navi egressus est, qvamqvam Theramenes & Thrasybulus eisdem rebus præfuerant, simulqve venerant in Pyræeum, tamen illum unum omnes proseqvebantur, & id qvod nunquam antea usu venerat, nisi Olympiæ victoribus, coronis aureis, æneisq; vulgò donabatur. Ille lacrymans talem benevolentiam civium suorum accipiebat, reminiscens pristini temporis acerbitatem. Postqvàm Asty venit, concione

advocata sic verba fecit, ut nemo tam ferus fuerit, qvin ejus casum lacrymarit, inimicumqve his se ostenderit, qvorum opera patria pulsus fuerat: perinde ac si alius populus, non ille ipse, qvi tum flebat, eum sacrilegii damnasset. Restituta ergo huic sunt publicè bona: iidemqve illi Eumolpidæ ac Ceryces rursus resacrare sunt coacti, qvi eum devoverat: pilæqve illæ, in qvibus devotio fuerat scripta, in mare præcipitatæ. Hæc Alcibiadi lætitia minus fuit diuturna, nam cum ei essent honores decreti, totaqve respublica domi, belliqve tradita, ut unius arbitrio gereretur, & ipse postulasset, ut duo sibi collegæ darentur Thrasybulus & Adimantus, neqve id negatum esset: classe in Asiam profectus, qvòd apud Cymen minus ex sententia rem gesserat, in invidiam recidit. nihil enim eum non efficere posse ducebant, ex qvo fiebat, ut omnia minus prosperè gesta ejus culpæ tribuerent, cùm eum aut negligenter, aut malitiosè fecisse loqverentur, sicut tum accidit. nam corruptùm à rege, capere Cymen noluisse argue-

VII.

arguebant. Itaqve huic maximè putamus malo fuisse nimiam opinionem ingenii, atqve virtutis. timebatur enim non minus, qvàm diligebatur, ne secunda fortuna, magnisqve opibus elatus, tyrannidem concupisceret. Qvibus rebus factum est, ut absenti magistratum abrogarent, & alium in ejus locum substituerent. Id ille ut audivit, domum revertinoluit, & se Perinthum contulit, ibiqve tria castella communivit, Bornos, Byziam, Themeonticos: manuqve collecta, primus Græciæ in Thraciam introiit, glorioſius existimans barbarorum præda locupletari, qvàm Grajorum. Qvæ ex re creverat ejus fama cum opibus, magnamqve amicitiam sibi cum qvibusdam regibus Thraciæ pepererat. Neqve tamen à caritate patriæ potuit recedere. nam cùm apud Ægos flumen Philocles prætor Athenienſium classem constituisset suam, neqve longè abesset Lysander prætor Lacedæmoniorum, qvi in eo erat occupatus, ut bellum qvàm diutissimè duceret, qvod ipsis pecunia à rege sup-

peditabatur: contra Athenienſibus exhauſtis, præter arma & naveis nihil erat ſuper: Alcibiades ad Athenienſium venit exercitum, ibiq; præſente vulgo agere cœpit, ſi vellent, ſe coacturum Lyſandrum, aut dimicare, aut pacem petere: reſpondent, Lacedæmonios eò nolle confligere claſſe, qvòd pedeſtribus copiis plus, qvàm navibus, valerent: ſibi autem eſſe facilè, Seuthen regem Thracum deducere, ut eos terra depelleret: qvo facto neceſſariò aut claſſe conflicturos, aut bellum compoſituros. Id etſi verè dictum Philocles animadvertebat, tamen poſtulata facere noluit, qvod ſentiebat, ſe, Alcibiade recepto, nullius momenti apud exercitum futurum: &, ſi qvid ſecundi eveniſſet, nullam in ea re ſuã partem fore: contra ea, ſi qvid adverſi accidiſſet, ſe unum ejus delicti futurum reum. Ab hoc diſcedens Alcibiades, qvoniam, inqvit, victoriæ patriæ repugnas, illud moneo, juxta hoſtes caſtra habeas nautica. periculum eſt enim, ne immodeſtia militum noſtrorum occaſio detur Lyſandro noſtri opprimendi exerci-

tus. Neqve ea res illum fefellit. Nam Lyſander cùm per ſpeculatores comperiſſet, vulgùm Athenienſium in terram prædatum exiſſe, navesqve pæne inanes relictas, tempus rei gerendæ non dimiſit, eoqve impetu totum bellum delevit. At Alcibiades victis Atheni- IX
enſibus non ſatis tuta eadem loca ſibi arbitratus, penitus in Thraciam ſe ſupra Propontidem abdidit, ſperans ibi facillimè ſuam fortunam occultari poſſe: falsò. nam Thraces poſtqvam eum cum magna pecunia veniſſe ſenſerunt, inſidias ei fecerunt, qvi ea, qvæ apportavit, abſtulerunt, ipſum capere non potuerunt. Ille cernens, nullum locum ſibi tutum in Græcia, propter potentiam Lacedæmoniorum, ad Pharnabazum in Aſiam tranſiit. qvem qvidem adeò ſua cepit humanitate, ut eum nemo in amicitia antecederet. namqve ei Grunium dederat in Phrygia caſtrum, ex qvo qvinqvaginta talenta vectigalis capiebat. Qva fortuna Alcibiades non erat contentus, neqve Athenas victas Lacedæmoniis ſervire poterat pati. Ita-

qve ad patriam liberandam omni ferebatur cogitatione. sed videbat id sine rege Persarum non posse fieri. ideoq; eum amicum sibi cupiebat adjungi. neqve dubitabat facilè se consecuturum, si modò ejus conveniendi habuisset potestatem. nam Cyrum fratrem ei bellum clàm parare Lacedæmoniis adjuvantibus sciebat, id si ei aperuisset, magnam se ab eo initurum gratiam videbat. Hæc cùm moliretur, peteretqve à Pharnabazo, ut ad regem mitteretur, eodem tempore Critias, ceteriqve tyranni Athenienſium certos homines ad Lysandrum in Asiam miserunt, qvi eum certiorem facerent. nisi Alcibiadem sustulisset, nihil earum rerum fore ratum, qvas ipse Athenis constituisset. Qvare si suas res gestas manere vellet, illum perseqveretur. His Laco rebus commotus statuit accuratius sibi agendum cum Pharnabazo. Huic ergo renunciat societatem, quæ regi cum Lacedæmoniis esset, stare non posse, fœderaqve irrita futura, nisi Alcibiadem vivum, aut mortuum tradidisset. Non tulit hoc satrapes, & violare clemen-

tiam, qvàm regis opes minui, maluit. Itaq; misit Syfamithærem & Bagum ad Alcibiadem interficiendum, cùm ille esset in Phrygia, iterq; ad regem compararet. Misi, clàm vicinitati, in qva tum Alcibiades erat, dant negotium, ut eum interficiant. Illi cùm eum ferro aggredi non auderent, noctu ligna contulerunt circa domum stramineam, in qva qviescebat, eamqve succenderunt, ut incendio conficeretur, qvem manu superari posse diffidebant. Ille autem sonitu flammæ excitatus, qvòd gladius ei erat subductus, familiaris sui subalare telum eripuit. Namqve erat cum eo qvidam ex Arcadia hospes, qvi nunqvam discedere voluerat. Hunc seqvi se jubet, & id, qvod in præsentia vestimentorum fuit, arripuit. his in ignem ejectis flammæ vim transiit. Qvem ut Barbari incendium effugisse eminus viderunt, telis missis interfecerunt, caputqve ejus ad Pharnabazum retulerunt. At mulier, qvæ cum eo vivere consveverat, muliebri sua veste contectum, ædificii incendio mortuum cremavit, qvod

ad

ad vivum interimendum erat comparatum. Sic Alcibiades annos circiter qvadraginta natus, diem obiit supremum.

XI. Hunc infamatum à plerisque tres gravissimi historici summis laudibus extulerunt: Thucydides, qvi ejusdem ætatis fuit: Theopompus, qvi fuit post aliqvanto natus, & Timæus, qvi qvidem duo maledicentissimi, nescio qvo modo, in illo uno laudando consenserunt. Nam ea qvæ suprà diximus, de eo prædicarunt, atqve hoc amplius, cùm Athenis splendidissima civitate natus esset, omnes Athenienses splendore ac dignitate vitæ superasse: Postqvam inde expulsus Thebas venerit, adeò studiis eorum inserviisse, ut nemo eum labore corporisqve viribus posset æqviparare. Omnes enim Bœotii magis firmitati corporis, qvam ingenii acumini inserviunt. Eundem apud Lacedæmonios, qvorum moribus summa virtus in patientia ponebatur, sic duritiæ se dedisse, ut parsimonia victus atq; cultus omnes Lacedæmonios vinceret: fuisse apud Thracas, homines vinolentos,

tos, rebusqve venereis deditos: hos qvoqve in his rebus antecessisse: venisse ad Persas, apud qvos summa laus esset fortiter venari, luxuriosè vivere, horum sic imitatum consvetudinem, ut illi ipsi eum in his maximè admirarentur. Qvibus rebus effeciſſe, ut apud qvoscunqve esset, poneretur Princeps habereturqve charissimus. Sed satis de hoc, reliqvos ordiamur.

Alcibiades.

MVltò formosissimus. *Qvanqvam forma bonum fragile est, muta tamen est commendatio, dicente Aristotele, utq; ait Virgil. 5. Æn.*

Gratior est pulchro veniens in corpore Virtus.

Maximè si mores formæ consimiles sint, neq; illorum turpitudo hanc cœno pejus collinat, aliàs raris Forma viris impuritia fuit. Sen. in Hippol. hinc Phocylides: κάλλος δυσήρητον ἔφυ, *pulchritudo difficilis custoditu est, & qvanqvam, dicente Euripide,* ὐ πάντων τῶν καλῶν ἦ τὸ μετώπον καλὸν ἔστι, *non omnium pulchrorum*

rum etiam autumnus pulcher est. Alcibiaden tamen, quoad vixit, formæ gratia commendavit.

Disertus. Cum multitudinis primùm oculos non ferret Alcibiades, Socrates, quo cum erat frequentissimè, ex eo quæsivit, num oculos sutoris vereretur, illo negante, porrò interrogavit, num opificis aut operarii adspectum ferre non posset, quod cum itidem negâsset, atqui, inquit ille, ex his multitudo constat. Ita ad dicendum animosior factus in concionem est progressus, raraq; laudem facundiæ tulit.

In domo Periclis. Prætor ille Athenienſium, arte dicendi maximè excelluit, quam non temere Plato dixit ψυχαγωγίαν, Cicero flexanimam. In labiis Periclis lepos habitare dictus est visusq;, non verba, sed tonitrua & fulmina loqui, eaq; eloquentia summam sibi dignitatem atq; auctoritatem conciliavit. In gratiam Amici perjerare recusans, Amicus, inquit, sum usq; ad aras. Fatali lecto decumbens gloriatus est opera sua neminem Athenienſium vestem pullam sumsisse, Plut. in Pericl.

Socerum habuit Hipponicum, Huic

per

per lusum jocumq; colaphum influxerat, quam cùm proterviam multos indignè ferre cerneret, eundem ultro adiit positaq; veste corpus flagellandum irato obtulit, qui culpam fatenti ignovit eiq; cum dote summa Filiam nuptum dedit Hipparcten. Plut. in Alc.

Amatus est à multis. *Infamis olim παιδερασίας vitio Græcia fuit. Vid. Procem. In eo laudandus Alcibiades, quod cæteris amatoribus splendidissima munera offerentibus rejectis, Philosophum sectatus est, ab ejus ore pependit, cum eo cœnavit, qui animi majorem, quàm corporis curam gerens, ferocientem insolentiam repressit, luxuriam cohibuit, quandoque metu, & Magistro remotis interdum ætati ludum dedit & Socratici præcepti immemor cupiditatibus æquo liberalius indulsit.*

Delicatè jocoseq; fecit. *Aliquando à Ludimagistro Homerum popposcit, quo affirmante nihil sibi esse, quod Homerus scripsisset, colaphum ei impegit ratus Magistri indignum esse titulo, qui Homerum non legisset, aut legeret, Lyræ usum probavit, tibiam aversatus est, cùm hæc & vul-*

vultum deformaret & usum sermonis adimeret, Thebarorum, ait, filii tibiâ canant, qui dicere nesciunt, nobis, ut ajunt, Minerva Dux Apollo præses est; illa verò tibiam abjecit, hic tibicinem (sc. Marsyam) excoriavit, quibus rationibus commilitones à tibiarum cantu abduxit &c.

Nicias & Lamachus. *Hic ætate famaq; superior Alcibiade, Eloquentia fuit inferior, de quo dixit Eupolis:* λαλεῖν ἀεὶς, ἀδυνατώτατος λέγειν, *quod haberet loquentiæ satis, nihil eloquentiæ, privatim satis facundus, publicè mutus.*

Hermes. *Aliàs Mercurius Eloquentiæ, Mercatorum, viarum, furum &c. DEUS Hermes dictus. Singulæ tribus Athenis statuas in viis publicis erectas habuisse videntur ita dictas. Vet. Schol. Hermæ erant effigies æneæ, aut marmoreæ sine manibus, quas ante januas pro Religione positas habuerunt Athenienses, Viris etiam de Rep. benè meritis erectæ fuere statuæ, quæ caput habuerunt è marmore eminens, reliquo corpore rudi relicto. Memorabilis erat in Gymnasio statua dicta Hermathena, eo quod in una basi*

Mer-

Mercurius & Minerva juncti essent, qvo innuebatur, Sapientiam cum Eloqventia conjungendam esse, nam, ut ait Cic. l. 1. de Invent. Sapientia sine Eloquentia parùm prodest Civitatibus; eloqventia verò sine sapientia nimium obest plerumq3, prodest nunqvam. Unus Andocidis Hermes incolumis relictus est, qvi Andocides Orator fuit optimatum magis, qvàm populi fautor cumq3 ex eare in suspicionem iniit adversus patriam consilii incidisset, vinctusq3 nosset impunitatem ex plebiscito concedi ultrò confitenti, satius esse duxit per mendacia se salvum evadere, qvàm ex falso crimine ignominiosè perire, de cæteris itaq3 & semetipso confessus veniam qvidem ipse ex lege habuit, at cæteri omnes, qvi non profugerunt, necati sunt.

Mysteria facerent. *Mysteria erant sacra secreta, qvæ propalare nefas habebatur, his sacris primùm initiatus Mysta eorumq3 jam sciens Epopta vocabatur, erantq3 Mystæ qvasi Candidati ambientes Epopteiam, sicut rudiores in Ecclesia Catechumeni satis in doctrina sacra provecti, fiebant Competentes & tùm demum susceptо Baptismo*

ptismo dicebantur Fideles, *Mysta* dictus ἀπὸ τοῦ μύω, claudo, quod quasi clausis adhuc oculis esset, non satis Sacrorum intelligens, ut ἐπόπτης, aut quod τὸ στόμα μύει, os claudit, neq; sacra fidei ipsius recens commissa enarrat; posteà tamen latius accepta vox est, & *Mysta* dictus non tantùm, qui initia didicit, sed etiam, qui pleniora sacra tenet, exercet ac docet. A mysteriis scleroſi arcebantur hac formulâ: ἐκὰς, ἐκὰς, ὅσις ἀλιτρός: procul, ô procul ite profani. Vid. Mart. Martin. in Lex. Philol. Hoc loco intelliguntur sacra Cereris & Proserpinæ à solis Eumolpidis, quæ certa erat Sacerdotum familia magnæ auctoritatis, celebrari solita. Alcibiades verò domi suæ his erat sacris operatus seq; Hierophantam dixerat, alium Tædiferum, reliquos sodales Mystas fecerat, quæ caussa fuit gravis offensæ execrationis, exilii &c.

Clam se subduxit: *Cum fugienti non nemo dixisset, annon fidis Patriæ tuæ, Alcibiades, cætera, inquit, omnia, sed de capite meo ne Matri quidem, ne forte pro albo atrum calculum injiciat, cumq; audiisset se capitis damnatum à civibus, at ego, inquit,*

inqvit, illis ostendam me vivere & certè ostendit hostis factus.

Devoverent. *Una Sacerdotum, Theano nomine, huic Plebiscito interceſſit, ſeq; ἐυχῶν, ὁ καταρῶν, votorum, non execrationum Sacerdotem eſſe dixit, ſcil. Sacerdotis eſt potius orare pro delinqventibus, qvàm eosdem diris devovere.*

Deceleam, *Caſtellum hoc erat Athenis vicinum ſitum in loco campeſtri, qvod Alcibiadis conſilio Lacedæmonii munierant valdoq; firmaverant præſidio, non ſine ingenti noxa Athenienſium.*

Tempus ejus interficiendi. *Invidia & Suſpicio clariſſimis plerumq; Viris fraudi fuere. Ita Beliſarium Juſtiniani Ducem fortiſſimum Virtus qvidem extulit, at Invidia cæcavit, ut ajunt. Suprà Miltiaden populus innoxium plecti maluit, qvàm ſe diutius eſſe in timore. Scilicet ſuſpicabatur fieri vix poſſe, ut Vir tantæ Virtutis, aſſuetus Imperii patriis legibus obſequeretur, eaq; ſuſpicio innocentem dedit in catenas. Alcibiades noſter, qvò plura majoraq; Virtutis edidit ſpecimina, eò plus invidiæ ſibi conflavit ac periculi.*

Thera-

Theramenes. *De hoc Cicero l. 1. Tusc. Quæst. Quàm me delectat Theramenes, quamq; elato animo est: triginta jussu Tyrannorum in carcerem conjectus, venenum datum, ut sitiens, ebibit quodq; reliquum fuit, è poculo ejecit, ita ut resonaret, quo sonitu reddito, Propino, inquit, hoc pulchro Critiæ, qui in eum fuerat teterrimus. Lusit Vir egregius extremo spiritu, cùm jam præcordiis conceptam mortem contineret, vereq; ei, qui venenum præbuerat, mortem est auguratus, quæ brevi est consecuta. Vid. cap. seq.*

Olympiæ victoribus. *Olympia, orum Ludi dicebantur in Græcia celebratissimi, qui quinto aut potius quarto quoq; anno celebrabantur ad Urbem cognominem, instituti ab Hercule in honorem Jovis Olympii. Certamen vocabatur Pentathlum, vel Quinquertium, eo quod quinq; Certaminum generibus dimicaretur, nempe Cœstu (aut etiam Disci jactu) Lucta, Saltu, Cursu, Pugilatu. Victor dictus est Olympionices, qui coronatus & à præstantissimis Poetis laudatus in patriam redux, honoris ergo per ruinas murorum excipiebatur.*

Talis

Talis erat Dioxippus, qui cùm Athenas introiret, cum ingenti populi applausu exceptus. & in obvia puella elegantis formæ oculos figeret, Diagenes: En. inquit, pugilem magnum, cui puella cervicem confregit. Æl. l. 12. Var. Hist. c. 58.

Aureis æneisq;. *Cùm æneæ aureis catenis malè jungi videantur, alii legunt tæniis: erant autem tæniæ vel vittæ extremitates, vel ipsa vitta, vel fascia quædam capitis, alii inserunt (statuis) & legunt æneisq; statuis, quibus Pelopidas donatus esse legitur. Plutarchus ita habet: στεφάνοις ἐστεφανώθη χρυσοῦς coronis coronatus est aureis.*

Casum lacrymavit. *Quàm levi sit sententia vulgus, hoc exemplo discimus: Quem haut multò ante aversata plebs urbe ejecerat dirisq; devoverat, eum plausu excipit, facti sui, vel lacryma teste pœnitens, ita excludit, revocat; sacrat, resacrat. Sacer est homo 1. DEO dicatus, uti Seneca ait: Homo, res sacra, jam per lusum & jocum occiditur. 2. execrandus, ut apud Virgil. Auri sacra fames. Ita in Legibus Romanis, quæ Sacratæ vocantur, sæpe*

legi-

legitur: Sacer esto, er sol in die Acht und Vogelfrey erkläret seyn/*hinc Sacrare verbum in bonam & malam partem accipi solet, ut DEO sacrare templum i. e. dicare, deinde est execrari, ut apud Livium: Lex lata de sacrando eum bonis capite ejus, qvi regni occupandi consilia iniisset. Resecrare est Religione solvere, vel execrationes mutare prece & benedictione.*

Qvod apud Cymen. *Cyme vel Cuma Vrbs est Æolidis in ora maritima, cujus incolæ habiti sunt insulsi & stupidi. Hic Alcibiades in Cariam profectus ad conficiendam pecuniam, Antiocho apud classem relicto imperat, ut ne vicinos hostes, qvorum Dux Lysander erat, lacessat aut lacessitus absente se prælio decertet, cujus ille interdicti negligens pugnat, vincitur, occiditur, aliqvot amissis navibus & hujus culpa cladis Alcibiadi ab Invidis est innoxio attributa.*

Postulata facere noluit. *Philocles ille, de quo supra in Lysandro, rem Atheniensium funditus evertit, qvam salubri Alcibiadis consilio obsecutus, stabilisset, at curam ille publicæ rei minorem, qvàm exi-*

stima-

stimationis suæ habendam judicabat Φιλόδοξος. *Ita Callicratides, referente Cic. 1. Offic. Dux Lacedæmoniorum, cùm multa feciſſet egregiè, ad ultimum vertit omnia; nam cùm cæteri citò claſſem abducendam eſſe, neq; loco incommodo cum Athenienſibus dimicandum cenſerent, reſpondit, Lacedæmonios claſſe amiſſa aliam parare poſſe, ſe fugere ſine ſuo dedecere non poſſe, ita minimæ jacturâ gloriolæ perniciem peſtemq; à patria avertere recuſavit.*

Inſidias fieri. *Diogenes olim interrogatus, aurum cur palleret, reſpondit, quia à tàm multis inſidiæ illi fiunt, certè. ut ait Juven. Sat. 10.*

Pauca licet portes argenti vaſcula puri
Nocte iter ingreſſus gladium contumq; timebis
Et motæ ad lunam trepidabis arundinis umbram.
Cantabit vacuus coram latrone viator.

Unde vigiles plerumq; noctes trahit opulentia. Horat. l. 1. Serm. Sat. 1. divitem ait vigilare metu exanimem noctesq; diesq;.

formidare malos servos. Ita cùm Arion Citharoedus partis arte suâ opibus navem conscendisset in patriam rediturus, ab avidis nautis in mare se, pecuniâ relictâ, dejicere coactus est, servatus à Delphino, uti ex Herodoto vel fabula, vel historia nota est. Infrà Hannibal ob eandem caussam apud Cretenses in periculum incidit, quod fraude quadam evasit, quapropter Crates Philos. noctes quietas & animum tranquillum divitiis præferens, ingens auri pondus in profluentem abjecit adjiciens: ite curæ, mergam vos, ne mergar à vobis.

Quinquaginta talenta. Satis liberale stipendium, nostra moneta, triginta Coronatorum millia: nam talentum Atticum commune valet sexcentis coronatis, Magnum octingentis, at neq; hanc sortem benè consuluit Alcibiades. Nil avidis satis est.

Cyrum fratrem. Darius moriens duos reliquit filios, Artaxerxem & Cyrum, illi testamento Regnum, huic Civitates quasdam in Asia legavit, Cyrus autem eâ divisione non contentus, occultè adversus Fratrem bellum parabat, quod cùm nunciatum

tum Artaxerxi esset, accersitum ad se Fratrem odiumq; dissimulantem aureis vinxit compedibus, inq; gratiam Matris dimisit, tùm verò palam contractis undiquaq; copiis junctisq; sibi Lacedæmoniis Fratrem bello adortus est & in prælio cecidit, Justin. l. 6.

Non intrat unquam regium limen Fides, Sen. in Troad.

Infamatum. *Quanquam nemo tàm cautè circumspectèq; agit tamq; accuratè ad Catonis regulam vitam moresq; exigit, quin laudetur ab his, culpetur ab illis.*

οὐδε γὰ ὁ Ζεὺς.
Οὐδ' ὗων ἀνδάνει, οὐδ' ἀπέχων.

Neq; enim Jupiter omnibus placet, sive pluat, sive serenum inducat aërem, ait Theognis. Licet vitiis sine nemo nascatur, optimus tamen ille est, qui minimis urgetur, Alcibiades sanè egregiæ splendorem Virtutis obscurâ vitiorum nebulâ obfuscavit & omnium studiis inserviendo honestatis lineas sæpè transiit.

Athenienses splendore. *Athenæ olim à splendore & gravitate commendabantur, ut quæ felicissimis abundabant ingeniis, ob id Artium omnium inventrices dictæ à Cicerone.*

rone. Vid. prov. Areopagita severior, Bœotii corporis, quàm animi majorem curam gerendo illius, non hujus viribus præstabant, unde auris Bœotica & Bœoticum ingenium de insulsis & stupidis παροιμιακῶς dicitur. Horat. ep. 1. l. 2. Bœotum in crasso jurares aëre natum. Lacedæmonii severissimis Lycurgi legibus instituti, à teneris duris assvescebant, unde pueros interdum innoxios ad necem usq; flagris cædebant, tantùm ut cohibito fletu dolores ferre discerent, qvo de alibi. Delicata Persarum gens ad luxum qvasi nata factaq; in cute curanda plus æqvo operata est, apud qvam præmio etiam donabatur, qvi novum aliqvod edulii genus reperisset. Difficilè autem est mores, qvi longa consuetudine in naturam qvasi abierunt, mutare & cujusvis servire palato sine tædio & offensa: nam qvo semel est imbuta recens testa odorem diu servat.

Axiomata.

1. Formæ Dignitas Virum commendat, si scilicet morum accedat Probitas, alioqui sus est in purpura & gladios plum-

plumbeus in eburna vagina formæ venustate præstans vir improbus.

Δύσμορφος ἂν μᾶλλον, ἢ καλὸς κακός

Deformis sim potius, qvàm pulcher malus.

Sen. ep. 66. Nullo honestamento Virtus eget, ipsa & magnum sui decus est, & corpus suum consecrat.

2. *De Alcibiade fermè dici potuit: Huic Naturæ nihil, nihil huic Fortuna negavit, propemodum habuit, qvæ in homine dicuntur bona, eorum verò usu, an famæ plus, an infamiæ abusu sibi conflârit, meritò dubites.*

3. *Nusqvam exulat Virtus, ea tutissimum optimumq; Decus, Præsidium, Viaticum. Alcibiades ubicunq; fuit, suum in Viris honoratis locum tutatus, gratiam gloriamq; invenit.*

4. *Nulla tàm fera mens aut gens tàm barbara est, qvæ non obsequio mitigetur & mortum suavitate capiatur. Ita amari qvi cupiebat, amabilis erat Alcibiades, iisq; moribus, qvibus*

Comicus ille Pamphilus: quibus cum erat cunq; unà, illis sese dedere, eorum obsequi studis, adversus nemini, nunquam præponens se illis &c. obsequium parit amicos. Ter. Act. 1. Sc. 1. Andr.

5. πλυπεραγμοσύνη *omnis vitiosa & noxia. Si quis profanis sacra misceat pedemque in Curia ponat alterum, alterum in Suggestu sacro, ad ruinam pleno contendit gradu. Notum illud magni cujusdam viri manu necati carnificis:*

Disce meo exemplo mandato munere fungi
Et fuge ceu pestem τὴν πλυπεραγμοσύνην.

6. *Homo Euripus & Fortuna Euripus. Ut enim Euripus (fretum medium inter Boeotiam & Euboeam) septies die ac nocte affluit, refluit; ita felicitas humana dubia & mirè variabilis est, quemq; florentem surgens vidit Phosphorus, abitura dies jacentem videt. Expertus id Alcibiades.*

7. *Dii homines habent, ut pilas Pl. in Capt.*

ut

ut olim Helvius Pertinax Imperator pila fortunæ dictus est, ita Alcibiades fortunæ ludibrium extitit, jam Dux jam exul, jam Nullus jam Omnia.

8. Πύλαδ' νόον ἴσχε, *ait Theognis. Polypi mentem obtine, i.e. ad cujusvis hominis & regionis mores te, quoad honestè licet, attempera. Ita Aristophanes monet vivendum esse τρόποις ἐπιχωρίοις, moribus regioni consentaneis, Vid. adag.* νόμῳ χῆ χώρᾳ. *Talis Homericus ille Ulysses* πολύτροπος. *Talis apud Horatium Aristippus, quem omnis decuit color. Alcibiades revera Proteus, Polypus, Chamæleon, in quo felicissima fuit & admiranda morum & ingenii dexteritas, qui ubiq; ut homines fuere, ita morem gessit &c.*

Alcibiades.

INgenio formaq; potens opibusq; beatus
Atheniensis Alcibiades *floruit*
Virtute clara nobilis.

Ac vitiis, cœno pejus quæ sordida turpant,
Quanquam juventam cum Pericle Socrates
Rudem erudisse dicitur.
Belli Dux, Patriæ jussu scitoq; creatus
Terra mariq; res gerit prosperrimè;
Suspectus autem criminis
Damnatusq; fugit, Spartam juvat hospes & inde
Odio repulsus, labefacta Patriæ
Tutatur; auget commoda,
Et populi claro cum plausu ingressus Athenas
Inusitatis prænitens honoribus,
In astra laude tollitur.
Post paullò gestâ malè re, vaga gratia vulgi
Disparet, inde Thraciam petit suæ
Amans, vel hostis, Patriæ.
Hinc iter ad Persam Regem molitus, in ipsa,
Nocturna iniquùm fraude, cæditur via
Caditq; morte ignobili.
Proteus & Polypus mira sese arte peritus
Attemperare moribus quibuslibet,
Vereq; Fortunæ pila.

Thrasi-

THRASYBULUS.

THRASYBULUS Lyci filius Atheniensis. Si per se virtus sine fortuna ponderanda sit, dubito an hunc primum omnium ponam. Illi sine dubio neminem præfero fide, constantia, magnitudine animi, in patriam amore. nam qvod multi voluerunt, pauci potuerunt, ab uno tyranno patriam liberare, huic contigit, ut à triginta oppressam tyrannis è servitute in libertatem vindicaret. Sed nescio qvo modo, cùm eum nemo anteiret his virtutibus, multi nobilitate, præcurrerunt. Primùm Peloponnesio bello multa hic sine Alcibiade gessit, ille nullam rem sine hoc: qvæ ille universa naturali qvodam bono fecit lucri. Sed illa tamen omnia communia imperatoribus cum militibus & fortuna, qvod in prælii concursu abit res à consilio ad vires, vimqve pugnantium. Itaqve jure suo nonnulla ab imperatore miles, plurima verò fortuna vindicat, seqve his plus valuisse, qvàm ducis prudentiam, verè potest

prædicare. Qvare illud magnificentissimum factum, proprium est Thrasybuli. nam cùm triginta tyranni, præpositi à Lacedæmoniis, servitute oppressas tenerent Athenas, plurimos cives, qvibus in bello pepercerat fortuna, partim patriâ expulissent, partim interfeciissent, plurimorum bona publicata inter se divisissent, non solùm princeps, sed & solus initio bellum his indixit. hic enim cum Phylen confugisset, qvod est castellum in Attica munitissimum, non plus habuit secùm, qvam triginta de suis. Hoc initium fuit salutis Atticorum, hoc robur libertatis clarissimæ civitatis. Neqve verò hic contemptus est primò à tyrannis, atq; ejus solitudo. qvæ qvidem res & illis contemnentibus perniciei: & huic despecto, saluti fuit. hæc enim illos ad persequendum segnes, hos autem tempore ad comparandum dato fecit robustiores. Qvo magis præceptum illud omnium in animis esse debet, NIHIL IN BELLO OPORTERE CONTEMNI, nec sine causa dici, MATREM TIMIDI FLERE NON SOLERE.

LERE. Neqve tamen pro opinione Thrasybuli auctæ sunt opes. nam jam tum illis temporibus fortiùs boni pro libertate loqvebantur, qvàm pugnabant. Hinc in Pyræum transiit, Munychiamq; munivit. Hanc bis tyranni oppugnare sunt adorti. ab eaqve turpiter repulsi, protinus in urbem armis, impedimentisqve amissis refugerunt. Usus est Thrasybulus non minus prudentiâ, qvàm fortitudine. nam cedentes violari vetuit: civis enim civibus parcere æqvum censebat. neqve qvisqvam est vulneratus, nisi qvi prior impugnare voluit. neminem jacentem veste spoliavit: nil attigit, nisi arma, qvorum indigebat, & qvæ ad victum pertinebant. In secundo prælio cecidit Critias, dux tyrannorum, cùm qvidem adversus Thrasybulum fortissimè pugnaret. Hoc dejecto Pausanias venit Atticis auxilio, rex Lacedæmoniorum. Is inter Thrasybulum, & eos, qvi urbem tenebant, fecit pacem, his conditionibus, ne qvi præter triginta tyrannos & decem, qvi postea prætores creati, superioris

rioris more crudelitatis erant usi, afficerentur exilio, neve cujusqvam bona publicarentur: reipub. procuratio populo redderetur. Præclarum hoc qvoqve Thrasybuli, qvod reconciliatâ pace cum plurimum in civitate posset, legem tulit: ne qvis anteactarum rerum accusaretur: neve multaretur: eamqve illi legem oblivionis appellarunt, neqve verò hanc tantùm ferendam curavit, sed etiam ut valeret, effecit. nam cùm qvidam ex iis qvi simul cum eo in exilio fuerant, eædem facere eorum vellent, cum qvibus in gratiam reditum erat, publicè prohibuit: & id, qvod pollicitus erat, præstitit. Huic pro tantis meritis honoris ergò corona à populo data est, facta è duabus virgulis oleaginis, qvæ, qvòd amor civium, non vis, expresserat, nullam habuit invidiam, magnæqve fuit gloriæ. Benè ergo Pittacus ille, qvi septem sapientum numero est habitus, cùm ei Mitylenæi multa millia jugerum agri muneri darent, nolite (rogo vos) inqvit, mihi dare, qvòd multi invideant, plures etiam concupiscant.

scant. qvare ex istis nolo amplius, quam centum jugera, qvæ & meam animi æqvitatem, & vestram voluntatem indicent. Nam parva munera, diutina, locupletia, non propria esse consveverunt. Illa igitur corona contentus Thrasybulus, neqve amplius reqvisivit, neq; qvenqvam honore se antecessisse existimavit, Hic seqventi tempore cùm prætor classem ad Ciliciam appulisset, neqve satis diligenter in castris ejus agerentur vigiliæ, à barbaris ex oppido noctu eruptione facta, in tabernaculo interfectus est.

Thrasybulus.

Atriginta oppressam. *(Cùm Lysander, qvo de Cap. 6. Athenienses bello terra mariq; victis, Urbe etiam capta, triginta Rectores constituisset, qvi rei præesset publicæ, hi tria sibi satellitum millia statuunt, & qvasi exiguus hic esset numerus ad continendam Civitatem viris viribusq; exhaustam, septingentos milites à Victoribus accipiunt, hinc rapinis & cædibus Urbem vastant, optimum qvemq; fugant, Just. l. 5.*

Naturali bono lucri fecit. *Salem habuit Alcibiades alieno partam labore gloriam in se transmovendo: ea enim erat Eloquentia eâq; gratia, ut rebus feliciter gestis ipsius Virtuti tribuerentur omnia, unus coronis donaretur, uti patet ex cap praced. Sic alter versiculos facit, fert alter honores. Ulyssis facundia forti Ajaci Achillea arma eripit præripitq; Ov. l. 13. Met. f. 1.*

Imperatore miles. *Quanquam res belli prosperè gestæ imperatori, cujus auspiciis pugnatum est, adscribi solent, laudum tamen pars maxima Virtuti debetur militis & Fortunæ, cujus locum apud Christianos obtinet divina Providentia, Cic. pro M. Marc. In armis militum virtus, locorum opportunitas, auxilia sociorum, classes, commeatus multùm juvant; maximam verò laudum partem quasi suo jure fortuna sibi vendicat, & quicquid est prosperè gestum, id pæne omne ducit suum. Idem l. 2. Offic. Magnam esse vim in fortuna in utramq; partem, vel ad secundas res, vel adversas quis ignorat? nam & cùm prosperè ejus flatu utimur, ad optatos exitûs provehimur & cum reflavit affligimur.*

Hic

Hic non contemtus. *Erasmus in Prov. Timidi mater non flet, ita legit: neq; verò hic modò contemptus est primò à Tyrannis, sed ejus etiam solitudo, i. e. Tyranni non Thrasybulum tantùm, ut hominem loci sortisq; inferioris, sed paucitatem etiam eorum, qui ipsum secuti sunt, res novas molientem, contemserunt. Præclarè Scytharum Legatus ad Alexandrum apud Curt. l. 7. Leo aliquando minimarum avium fit pabulum & ferrum rubigo consumit, nihil tàm firmum est, cui periculum non sit, etiam ab invalido.*

Fortius boni. *Facta, non dicta feriunt, funduntq; hostem, multi Plautino verbo, verbis factiosi, oratione verbosa malunt, qvàm valida manu libertatem tueri, qui extra teli jactum constituti satis animosi videntur, cum verba in rem conferenda sunt, nusqvam apparent, cùm in propinqvo hostis est & periculum, trepidi refugiunt ἐλαφάποδες, relicta non benè parmula Horat. od. 7. l. 2. Carm. De Drance Virgil. l. XI. Æn. Lingva melior, sed frigida bello dextera.*

Impedimentis amissis. *Qvid impedimen-*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn778716805/phys_0175
DFG

dimentum sit, nulli non notum, Cic. de Orat. Impedimenta naturæ diligentia superabat Socrates. In Exercitu Impedimenta sunt Sarcinæ, jumenta, currus & alia necessaria.

Civis civibus pareeret. *Quantò melior Thrasybulus, quàm Sylla, qui aliquot civium millia, armis positis, vitam deprecantium in villa publica concidi jussit. Cæsar in prælio cum Pompejo Victor equo obequitans, militem compellabat hac voce: parce civibus. Scilicet nihil crudelius, quàm cives in civium sævire viscera, & vim inferre Patriæ æquè flagitiosum est, ac Parentem necare.*

Critias cecidit fortissimè. *Critias Virtutem pessimè collocat, manu strenua tyrannidem asserens. Ita Catilina hostis à S. P. Q. Romano judicatus, cùm ad arma ventum est, fortissimi Ducis militisq; officiô functus, longè à suis inter hostium cadavera repertus est, pulcherrima morte, si sis pro patria cecidisset, ut ait Historicus.*

Legem oblivionis. *Hanc ἀμνησίαν vel ἀμνησικακίαν Græci vocant, oblivionem pristinæ injuriæ, qva nihil ad firmandam*

pacem

pacem belliq; restinguenda incendia salutarius est, ita restituta Patriæ Pace, quæ ut perennet, omnes Boni seriò exoptant, ἀμνηστίας lege cautum est, ne quis injurias bello furente illatas meminerit aut vindicet: ut enim meritorum memoria sempiterna, ita injuriarum brevissima esse debet, quo Amicitia immortalis sit, dicente Cicerone, Inimicitia mortalis. Themistocles, ut refert Cic. l. 2. de Orat. artem memoriæ profitenti dixit gratius illum sibi facturum, si se oblivisci, quæ vellet, quàm si meminisse doceret. Conf. Val. Max. l. 4. c. 1.

Duabus virgulis oleaginis. *Virtutis olim præmia non pretio, sed conferentium animo studioq; æstimata. Apud Romanos antiquitus triumphantis Corona erat Laurea, quam in auream luxas convertit. Corona Obsidionalis graminea erat, Civica è fronde querna. Vid. Rosinus. Ita Olympionices, cui honos aliàs habebatur maximus, frondea corona donabatur; posteà verò, quàm præmiis splendor accessit & pretium, illustria Virtutis exempla fuere rariora. Aliàs Olea Minervæ sacra, quæ à Pœtis dicitur inventrix oleæ; Minervæ verò*

verò Athenis nomen dedit, hîc illius arma, hîc currus fuit. Olea etiam pacis insigne Virgil. l. 8. Æn. vers. 116. de Ænea cum Evandro pacis inituro fœdera:

Paciferæq; manu ramum prætendit Olivæ. Oleagina itaq; Corona Pacis auctori ab Atheniensibus, Minervæ Cultoribus, rectè data est.

Pittacus. *Patria huic fuit Mitylene, cui cùm X. annos præfuisset, sponte Magistratu se abdicavit, id unum caussatus: ὡς χαλεπὸν ἐσθλὸν ἔμμεναι, ut difficile est bonum esse. Alioqui septem Sapientes Græcia numeravit, quorum nomina dictaq; hæc fuisse dicuntur: Solon: τέλος ὁρᾶν τοῦ βίου, vitæ finem specta. Pittacus: γίγνωσκε καιρὸν, cognosce tempus. Bias: οἱ πλείους κακοὶ plures mali. Thales: ἐγγύα, πάρα δ' ἄτη sponde præstô est noxa. Periander: μελέτη τὸ πᾶν, cura, vel meditatio omnia. Cleobulus: μέτρον ἄριστον, modus optimus. Chilon: γνῶθι σεαυτόν, nosce teipsum.*

Axiomata.

1. *Virtus externis, comitata bonis illustrior, non major. Immortali ea parandæ gloriæ vel nuda sufficit.* 2. *Multi*

2. *Multi famam habent majorem, quàm merentur; merentur multi majorem, quàm habent.*

3. *Honestum pro Patria mori. Servitute hujus homini, qui verè φιλόπατρις, nihil accidit acerbius. Eam qui civiũ depellit cervicibus, ingentia meretur præmia. Sic habeto, ait Africanus Major in Somn. Scip. omnibus, qui Patriam conservârint, adjuverint, auxerint certum esse in cœlo ac definitum locum, ubi Beati ævo sempiterno fruantur.*

4. *Ubi non est Pudor, nec cura juris, Sanctitas, Pietas, Fides, instabile regnum est, Sen. in Thyest. Tyranni id experti.*

5. *Nihil in bello oportet contemni: parva interdum scintilla contemta magnum excitat incendium.*

6. *Beati timidi ait Salomo Prov. c. 28. v. 14. Præceps audacia & ἀφοβία ad ultimam perniciem proximus gradus est.*

7. *Injuriarum memoria brevis sit, meritorum sempiterna, Ἀμνησία Pacis firmamentum. Injurias oblivione vindicare*

dicare, aut beneficiis pensare gloriosum est.

8. Honor nimius oneri magis, quàm decori, Munera parva divina, locupletia non propria. Satius est ad olera vocari cum charitate, quam ad vitulum saginatum cum odio, inquit sapientum Rex Prov. 15. 17.

Thrasybulus.

DEpugnat victrice manu Thrasybulus & armis,
Ter deno dominante Tyranno,
Et Critia cæso Duce, libertate redonat
Oppressas malè Victor Athenas:
At fugiens stragem, medio in certamine mandat
Ferro & Civi parcere civem.
Tum, quæ pertulerat florente Tyrannide civis,
Lege vetat meminisse malorum.
Hac virtute oleæ ramum fortissimus Heros
Et laudem meret immortalem.
Invidiæ telis obnoxia munera temnit,
Ardua mens contentaq; paucis.

CONON,

CONON.

CONON Athenienſis Peloponneſio bello acceſit ad Rempub. in eoq; ejus opera magni fuit. nam & prætor pedeſtribus exercitibus præfuit, & præfectus claſſis res magnas mari geſſit. Qvas ob cauſas præcipuus ei honos habitus eſt. namqve omnibus unus inſulis præfuit, in qva poteſtate Pharas cepit, coloniam Lacedæmoniorum. Fuit etiam extremo Poloponneſio bello prætor, cùm apud Ægos flumen copiæ Athenienſium à Lyſandro ſunt devictæ. Sed tum abfuit, eoqve pejus res adminiſtrata eſt, nam & prudens rei militaris, & diligens erat imperii. Itaqve nemini erat his temporibus dubium, ſi affuiſſet, illam Athenienſes calamitatem accepturos non fuiſſe. Rebus autem afflictis cùm patriam obſideri audiſſet, non qvæſivit, ubi ipſe tutò viveret, ſed unde præſidio poſſet eſſe civibus ſuis. Itaqve contulit ſe ad Pharnabazum ſatrapen Ioniæ & Lydiæ, eundemqve generum regis & propinqvum: apud qvem ut multum gratia valeret, multo labore

labore, multisqve effecit periculis. Nam cùm Lacedæmonii Athenienſibus devictis in ſocietate non manerent, qvam cum Artaxerxe fecerant, Ageſilaumqve bellatum miſiſſent in Aſiam, maximè impulſi à Thiſſapherne, qui ex intimis regis ab amicitia ejus defecerat, & cum Lacedæmoniis coierat ſocietatem: hunc adverſus Pharnabazus habitus eſt imperator, re qvidem verâ exercitui præfuit Conon, ejusqve omnia arbitrio geſta ſunt. Hic multùm ducem ſummum Ageſilaum impedivit, ſæpeqve ejus conſiliis obſtitit, neqve verò non fuit apertum, ſi ille non fuiſſet, Ageſilaum Aſiam Tauro tenus regi fuiſſe erepturum. Qvi poſtea qvàm domum à ſuis civibus revocatus eſt, qvòd Boeotii & Athenienſes Lacedæmoniis bellum indixerant, Conon nihilo ſecius apud præfectos regis verſabatur, hisq; omnibus magno erat uſui. Defecerat à rege Tiſſaphernes, neqve id tam Artaxerxi, quàm cæteris, erat apertum. multis enim, magnisqve meritis apud regem, etiam cùm in officio non maneret, valebat.

lebat. Neqve id mirandum, si non facilè ad credendum inducebatur, reminiscens ejus se opera Cyrum fratrem superasse. Hujus accusandi gratia Conon à Pharnabazo ad regem missus, posteaqvam venit, primùm ex more Persarum ad Chiliarchum, qvi secundum gradum imperii tenebat, Tithraustem accesit, seqve ostendit cum rege colloqvi velle. nemo enim sine hoc admittitur. huic ille, nulla inqvit, mora est: sed tu delibera utrùm colloqvi malis, an per litteras agere, qvæ cogitas. necesse est enim, si in conspectum veneris, venerari te regem, qvod προσκυνεῖν illi vocant. hoc si tibi grave est, per me nihilo seciùs editis mandatis conficies, quod studes. Tum Conon, mihi verò, inquit, non est grave qvemvis honorem habere regi, sed vereor, ne civitati meæ sit opprobrio, si cùm ex ea civitate sim profectus, qvæ cæteris gentibus imperare consveverit, potius barbarorum, qvam illius, more fungar. Itaqve qvæ volebat, huic scripta tradidit. Qvibus cognitis, rex tantum auctoritate ejus

jus motus est. ut Tissaphernem hostem judicârit, & Lacedæmonios bello persequi jusserit; & ei permiserit, quem vellet eligere ad dispensandam pecuniam. Id arbitrium Conon negavit sui esse consilii, sed ipsius, qui optimè suos nosse deberet; sed se svadere, Pharnabazo id negotii daret. Hinc magnis muneribus donatus ad mare est missus, ut Cypriis & Phœnicibus, cæterisque civitatibus maritimis naves longas imperaret, classemque qua proxima æstate mare tueri posset, compararet dato adjutore Pharnabazo, sicut ipse volverat. Id ut Lacedæmoniis est nunciatũ, non sine cura rẽ administrârunt; quòd majo bellum imminere arbitrabantur, quam si cum barbaro solùm contenderent. Nam ducem fortem & prudentem, regiis opibus præfuturum, ac secum dimicaturum videbant: quem neq; consilio, neque copiis superare possent. Hac mente magnam contrahunt classem, proficiscuntur Pisandro duce. Hos Conon apud Cnidum adortus magno prælio fugat, multas naves capit, complures

plures deprimit. Qva victoria non solùm Athenæ, sed etiam cuncta Græcia, qvæ sub Lacedæmoniorum fuerat imperio, liberata est. Conon cum parte navium in patriam venit, muros dirutos à Lysandro utrosqve & Pyræei & Athenarum reficiendos curat: pecuniæqve L. talenta, qvæ à Pharnabazo acceperat, civibus suis donat. Accidit huic, qvod cæteris mortalibus, ut inconsideratior in secunda, qvàm in adversa esset fortuna. Nam classe Peloponnesiorum devicta, cùm ultum se injurias patriæ putaret, plura concupivit, qvàm efficere potuit. Neqve tamen ea non pia & probanda fuerunt, qvod potiùs patriæ opes augeri, qvàm regis, maluit. Nam cùm magnam auctoritatem sibi pugna illa navali, qvam apud Cnidum fecerat, constituisset, non solùm inter barbaros, sed etiam inter omnes Græciæ civitates clàm dare operam cœpit, ut Ioniam & Æoliam restitueret Atheniensibus. Id cùm minus diligenter esset celatum, Tiribazus, qvi Sardibus præerat, Cononem evocavit, simulans ad

regem eum se mittere velle. Magna festinatione hujus nuncio parens cùm venisset, in vincula conjectus est; in quibus aliquamdiu fuit. Nonnulli eum ad regem abductum, ibique periisse scriptum reliquerunt. Contra ea Dinon historicus, cui nos plurimum de Persicis rebus credimus, effugisse scripsit, illud addubitat, utrum Tiribazo sciente, an imprudente sit factum.

Conon.

BElio Prætor. *In re militari is dictus olim est Prætor, qui præiret exercitui, aut cui parerent milites, planè idem, qui postea dictus est Imperator. Aliàs apud Romanos Prætor erat, qui jus diceret. Vid. Antiquit.*

A Lysandro sunt devictæ. *Vix unquam graviorem Athenienses cladem perpessi sunt quàm cùm per absentiam Cononis, incuria Philoclis Ducis, victore Lysandro Spartano, amisere milites, naves, Urbem, libertatem, omnia. Vid. vita Lys. & Alcib. Conon re malè gesta, quanquam aliena culpa, in patriam reverti noluit, tam veritus*

veritus plebis, quæ impetu, non consilio regitur, neq; adversos casus belli fortunæ, sed Ducum vel imperitiæ, vel imprudentiæ aut etiam perfidiæ imputare consuevit, neq; etiam meliora desperans, omnem publicæ rei curam abdicavit, sed ad Evagoram primùm Cypri Regem, hinc ad Pharnabazum Asiæ Præfectum sese contulit, occasionem patriæ recreandæ studiosè captans.

Defiecerat Tissaphernes. Subleſtæ homo fidei Tissaphernes fraudulenter egit. Primùm Græcos milites, qui à Cyri steterant partibus, Cyro victo contra datam fidem partim interfecit, partim armis infestis persecutus est. Cum Agesilao fœdus iniit ac paullò pòst bellum eidem denunciavit, nisi Asia decederet, cujus ille Legatis hilari vultu respondit, se magnam habere gratiam Tissapherni, quod perjurio suo & Deos & homines sibi infensos reddidisset, adversæ autem parti propitios, Plut. in Lacon. Confer infra Agesil. ab ipso tandem Rege cum defeciſſet, ejus jussu in balneo trucidatus est caputq; ad Regem missum. Ita atrocem violatæ fidei pœnam pependit homo perditæ perfidiæ.

Chiliarchum. *Chiliarchus propriè is dicitur, qvi mille militibus imperat,* χίλιοι, *mille,* ἄρχω, *impero. Idem apud Persas fuisse videtur, qvi apud Romanos sub Impp. Præfectus Prætorio, cui novus Imperator ad sui defensionem gladium dabat ejusq; maxima erat & ab Imperatoria proxima dignitas.*

Venerari te Regem. *Honor Regi debetur, sed divino minor, Horat. od. 6. l. 3. Carm.*

Diis te minorem qvod geris, imperas. Eo verò fastu Persarum erant Reges, ut non nisi humi prostratos in adspectum admitterent, seq; tanqvam præsentia Numina, adorandos obviis offerrent. Ita Alexander oblitus patrii, Persicum morem imitatus à Suis adorari voluit, non sine gravi Macedonum offensione, qvem honorem cum Regi exhibere recusaret Callisthenes, aulicæ assentationis insuetus, regia excidebat gratia & naso auribusq; abscissis per cruciatum necabatur. Indorum hodiè Regem salutantes utraq; manu caput pectusq; ferunt, hinc terram percutiunt se dignos judicantes, qvi ipsius se pedibus subjiciant.

At

At Rex DEUS est Ollaris, qui tanquam herba solstitialis, paulisper cum fuit, esca fit vermium:

Quo pius Æneas, quo dives Tullus & Ancus?
Pulvis & umbra sumus.

Horat. od. 7. l. 4.

Civitati meæ sit opprobrio. *Quanquam Majestati Regiæ quemvis honorem deferre Conon non renuit, tamen vel exul & supplex, à patriis institutis recedendo, quicquam viro forti ac gravi indignum committere veretur. Ita Ismenias Thebanorum Legatus ad Persarum Regem missus, in conspectum Regis adductus, annulum de industria digito lapsum corpore flexo recepit, atq; ita cùm regiæ superbiæ satisfecit, tùm Græcorum dignitati consuluit. Ea fuit gravitas Athenienſium, ut Suorum quemquam vel levissimæ adulationi subscribere indignissimè ferrent, hinc Timagoram inter officium salutationis Regem Darium more gentis illius adulatum, capitali supplicio affecerunt. Val. Max. l. 6. c. 3. quanquam periculosum Imperantium quicquam ambitioni negare, unde*

Demades Athenienſibus divinos honores Alexandro decernere recuſantibus, videte, inquit, ne, dum cœlum cuſtoditis, terram amittatis.

Inconſideratius. *Ita fieri amat, ut nimia felicitate mens ebria exorbitet & à media via, quæ optima ſemper tutiſſimaq; eſt, declinando, cæca in perniciem ruat. Pompejus & Cæſar ſummum propemodùm gloriæ & dignitatis apicem attigerant, at plura majoraq; concupiſcendo uterq; non ſicca morte ad generum Cereris deſcendere. & ille quidem fugiens in terra peregrina cervices Carnifici amputandas præbuit, hic in ipſa Curia Amicorum ſuorum manibus interfectus eſt. Antonius Triumviratus honore non contentus, dum Imperium Rom. affectat idq; Cleopatræ, cujus inſano amore exarſerat, loco dotis offert, cum regno vitam amittit, ſuo ipſius gladio incumbere coactus.*

Axiomata.

1. *Animus generoſus rebus anguſtis animoſus atq; fortis apparet* Horat. od. 10. l. 2. *cumq; hac non ſucceſſit, alia rem via*

via aggreditur. Exemplo est Conon.

2. Fides hominum dubia, gratia fragilis. πάνιον καὶ δυσεύρετον φιλῷ βέβαιῳ, ait Plut. rarus & inventu difficilis amicus constans. Talis non erat Tissaphernes.

3. Vitro sua tuenda est gravitas neq; à patrio more, vel cum periculo recedendum est. Mori Cato maluit, quàm Cæsari Tyranno supplicare.

4. Regem colere licet, adorare non decet, DEO hic honos debetur:

Reges in ipsos imperium est Jovis
Cuncta supercilio moventis.

Horat. od. 1. l. 3. Insolentiæ comes ruina est, cujus rei specimen dedit, ultimus persarũ Rex Darius Codomannus.

5. Dux fortis ac prudens hosti formidolosus. Prudentia sine Fortitudine imbecilla est, fortitudo sine Prudentia mole ruit sua, alterius sic altera poscit opem res & conjurat amicè.

6. Maxima mortalium pars inconsideratior in secunda est, quàm adversa fortuna. Citius Viatori, ut est in fabulis,

Sol blandiens, quàm furens boreas tunicam adimit.

7. *Nihil supra vires tentandum: Sequi non debes, quod assequi nequeas, &c. 1. Off. Qui alta quærit, is malum videtur quærere. Plautus in prol. Pseud.*

Conon.

Belli peritus Imperator imperat
Cum laude maxima Conon,
Rebusq; patriæ perditis, hujus bono
Ad Pharnabazum confugit.
Legatus inde ad Artaxerxem, quem tamen
More haut adorat barbaro,
Infesta Spartæ Regem ad arma concitat
Opibusq; præest regiis
Victor Pisandri, Græciam durissima
A servitute vindicat
Suaq; cura instaurat & pecunia
Muros Athenis dirutos.
At concupiscens, Patriæ suæ bono,
Majora viribus, perit.

DION.

DION.

DION Hipparini filius, Syracusanus, nobili genere natus, utraque implicatus tyrannide Dionysiorum. namq; ille superior Aristomachen, sororem Dionis habuit in matrimonio, ex qva duos filios Hipparinum & Nysæum procreavit, totidemqve filias Sophrosynen & Areten, qvarum priorem Dionysio filio eidem, cui regnum reliqvit; nuptum dedit, alteram Dioni. Dion autem præter nobilem propinqvitatem, generosamqve majorum famam, multa alia ab natura habuit bona: in his ingenium docile, come, aptum ad artes optimas, magnam corporis dignitatem, qvæ non minimum commendat, magnas præterea divitias à patre relictas, qvas ipse tyranni muneribus auxerat. Erat intimus Dionysio priori, neq; minus propter mores, qvam affinitatem. namqve etsi Dionysii crudelitas ei displicebat, tamen esse salvum propter necessitudinem, magis etiam suorum causa studebat. aderat in magnis rebus ejusqve consilio multum move-

batur tyrannus, nisi qva in re major ipsius cupiditas interceſſerat. Legationes verò omnes qvæ eſſent illuſtriores per Dionem adminiſtrabantur: qvas qvidem ille diligenter obeundo, fideliter adminiſtrando, crudelisſimum nomen tyranni, ſua humanitate leniebat. Hunc à Dionyſio miſſum, Carthaginenſes ſuſpexerunt, ut neminem unqvam Græca lingva loqventem magis ſint admirati. Neqve verò hæc Dionyſium fugiebant. nam qvanto eſſet ſibi ornamento ſentiebat, quo fiebat, ut uni huic maximè indulgeret, neqve eum ſecus diligeret, ac filium. qvi qvidem cùm Platonem Tarentum veniſſe fama in Siciliam eſſet perlata, adoleſcenti negare non potuit, qvin eum arceſſeret, cùm Dion ejus audiendi cupiditate flagraret. Dedit ergo huic veniam, magnaqve eum ambitione Syracuſas perduxit. qvem Dion adeò admiratus eſt, atqve adamavit, ut ſe totum ei traderet. Neqve verò minùs Plato delectatus eſt Dione. Itaqve cùm à Dionyſio tyranno crudeliter violatus eſſet, qvippe qvem venundari

dari jussisset, tamen eodem rediit, ejusdem Dionis precibus adductus. Interim in morbum incidit Dionysius, qvo cùm graviter conflictaretur, qvæsivit à medicis Dion, qvemadmodum se haberet, simulqve ab his petiit, si fortè majori esset periculo, ut sibi faterentur. nam velle se cum eo colloqvi de partiendo regno, qvòd fororis suæ filios ex illo natos partem regni putabat debere habere. id medici non tacuerunt, & ad Dionysium filium sermonem retulerunt qvo ille commotus, ne agendi cum eo esset Dioni potestas, patri soporem medicos dare coegit. Hoc æger sumpto, somno sopitus, diem obiit supremum. Tale initium fuit Dionis & Dionysii simultatis, eaqve multis rebus aucta est: sed tamen primis temporibus aliqvamdiu simulata inter eos amicitia mansit, cumqve Dion non desineret obsecrare Dionysium, ut Platonem Athenis arcesseret, & ejus consiliis uteretur, ille, qvi in aliqva re vellet patrem imitari, morem ei gessit, eodemq; tempore Philistum historicum Syracusas

reduxit, hominem amicum, non magis tyranno, qvàm tyrannidi. Sed de hoc in eo meo libro plura sunt exposita, qvi de historicis conscriptus est. Plato autem tantum apud Dionysium auctoritate potuit, valuitqve eloqventia, ut ei persvaserit, tyrannidis facere finem, libertatemq; reddere Syracusanis, à qvâ voluntate Philisti consilio deterritus, aliqvanto crudelior esse cœpit. Qvi qvidem cùm à Dione se superari videret ingenio, auctoritate, amore populi, verens, ne si eum secum haberet, alicqvam occasionem sui daret opprimendi, navem ei triremem dedit, qva Corinthum deveheretur, ostendens, se id utriusq; facere causa, ne, cùm inter se timerent, alteruter alterum præoccuparet. Id cùm factum multi indignarentur, magnæqve esset invidiæ tyranno, Dionysius omnia, qvæ moveri poterant, Dionis in naves imposuit, ad eumqve misit. Sic enim existimari volebat, id se non odio hominis, sed suæ salutis fecisse causa. Postea verò qvàm audivit eum in Peloponneso manum compara-

parare, sibiqve bellum facere conari; Areten Dionis uxorem alii nuptum dedit; filiumqve ejus sic educari jussit, ut indulgendo turpissimis imbueretur cupiditatibus. nam puero prius, qvàm pubes esset, scorta adducebantur: vino, epulisq; obruebatur, neqve ullum tempus sobrio relinqvebatur. Is usqve eò vitæ statum commutatum ferre non potuit, ut postqvam in patriam rediit pater (namqve appositi erant custodes, qvi eum à pristino victu deducerent) se superiore parte ædium dejecerit, atqve ita interierit. Sed illuc revertor. Postqvam Corinthum pervenit Dion, & eodem perfugit Heraclides, ab eodem expulsus Dionysio, qvi præfectus fuerat eqvitum, omni ratione bellum comparare cœperunt: sed non multum proficiebant, qvod multorum annorum tyrannis, magnarum opum putabatur, qvam ob causam pauci ad societatem periculi perducebantur. Sed Dion fretus non tam suis copiis, qvàm odio tyranni, maximo animo, duabus onerariis navibus, qvinqvaginta annorum

imperium, munitum qvingentis longis navibus, decem eqvitum, centumqve peditum millibus, profectus oppugnatum, qvod omnibus gentibus admirabile est visum, adeò facilè perculit, ut post diem tertium, qvàm Siciliam attigerat, Syracusas introierit. Ex qvo intelligi potest, nullum esse imperium tutum, nisi benevolentia munitum. Eo tempore aberat Dionysius, & in Italia classem opperiebatur, adversariorum ratus neminem sine magnis copiis ad se venturum. qvæ res eum fefellit. Nam Dion iis ipsis, qvi sub adversarii fuerant potestate, regios spiritus repressit, totiusq; ejus partis Siciliæ potius est, qvæ sub Dionysii potestate fuerat: pariqve modo urbis Syracusarum, præter arcem, & insulam adjunctam oppido, eoqve rem perduxit, ut talibus pactionibus pacem tyrannus facere vellet, Siciliam Dion obtineret, Italiam Dionysius, Syracusas Apollocrates, cui maximam fidem uni habebat Dionysius. Has tam prosperas, tamqve inopinatas res consecuta est subita commutatio,

qvòd

qvòd fortuna ſua mobilitate, qvem paulò antè extulerat, demergere eſt adorta. primùm in filio, de qvo commemoravi ſupra, ſuam vim exercuit. nam cùm uxorem reduxiſſet, quæ alii fuerat tradita, filiumqve vellet revocare ad virtutem à perdita luxuria, accepit graviſsimum parens vulnus morte filii: deinde orta diſſenſione inter eum, & Heraclidem: qvi qvidem principatum Dioni non concedens, factionem comparavit, neq; enim minus valebat apud optimates: qvorum conſenſu præerat claſſi, cùm Dion exercitum pedeſtrem teneret. Non tulit animo æqvo Dion, & verſum illum Homeri retulit ex ſecunda rhapſodia, in qvo hæc ſententia eſt; Non poſſe bene geri rempubl. multorum imperiis. Qvod dictum magna invidia conſecuta eſt. namqve aperuiſſe videbatur ſe omnia in ſua poteſtate eſſe velle. Hanc ille non lenire obſeqvio, ſed acerbitate opprimere ſtuduit, Heraclidemq; cùm Syracuſas veniſſet, interficiendum curavit. qvod factum omnibus maximum timorem injecit.

nemo

nemo enim illo interfecto se tutum putabat, ille autem adversario remoto licentius eorum bona, qvos sciebat adversus se sensisse, militibus dispertivit, qvibus divisis cùm qvotidiani maximi fierent sumptus, celeriter pecunia deesse cœpit: neq; qvo manus porrigeret suppetebat, nisi in amicorum possessiones. Id ejusmodi erat, ut, cùm milites reconciliasset, amitteret optimates, qvarum rerum cura frangebatur, & insvetus malè audiendi non æqvo animo ferebat de se ab iis malè existimari, qvorum paulò antè in cœlum fuerat elatus laudibus. Vulgus autem offensa in eum militum voluntate liberius loqvebatur, & tyrannum non ferendum dictitabat. Hæc ille intuens, cùm qvemadmodum sedaret, nesciret, & qvorsum evaderet, timeret: Callicrates qvidam, civis Athenienſis, qvi simul cum eo ex Peloponneso in Siciliam venerat, homo & callidus, & ad fraudem acutus, sine ulla religione ac fide adit ad Dionem, & ait, eum in magno periculo esse, propter offensionem populi & odium mili-

militum; qvod nullo modo evitare posset, nisi alicui suorum negotium daret, qvi se simularet illi inimicum, qvem si invenisset idoneum, facilè omnium animos cogniturum adversariosq; sublaturum, qvod inimici ejus diffidenti suos sensus aperturi forent. Tali consilio probato excepit has partes ipse Callicrates, & se armat imprudentia Dionis: ad eum interficiendum socios conqvirit, adversarios ejus convenit, conjuratione confirmat. Res, multis consciis, qvæ gereretur, elata refertur ad Aristomachen sororem Dionis, uxoremq; Areten. Illæ timore perterritæ conveniunt cujus de periculo timebant. At ille negat, à Callicrate fieri sibi insidias. Sed illa qvæ agerentur, fieri præcepto suo. Mulieres nihilo secius Callicraten in ædem Proserpinæ deducunt, ac jurare cogunt, nihil ab illo periculi fore Dioni. Ille hac religione non modo ab incepto non deterritus, sed ad maturandum concitatus est, verens ne prius consilium aperiretur suum, qvam conata perfeciisset, hac mente proximo die

die festo, cùm à conventu se remotum Dion domi teneret, atqve in conclavi edito recubuisset: consciis loca munitiora oppidi tradidit, domum custodiis sepsit, à foribus qvi non discederent, certos præfecit: navem triremem armatis ornat, Philocratiq; fratri suo, tradit: eamqve in portu agitari jubet, ut si exercere remiges vellet, cogitans, si fortè consiliis obstitisset fortuna, ut haberet, qvò fugeret ad salutem. Suorum autem è numero Zazynthios adolescentes qvosdam elegit, cùm audacissimos, tum viribus maximis, hisqve dat negocium, ut ad Dionem eant inermes, sic ut conveniendi ejus gratia viderentur venire. hi propter notitiam sunt intromissi. At illi, ut limen ejus intrarunt, foribus obseratis in lecto cubantem invadunt, colligant. fit strepitus, adeò ut exaudiri posset foris. Hic, sicut antè sæpè dictum est, qvàm invisa sit singularis potentia, & miseranda vita, qvi se metui, qvàm amari malunt, cuivis facilè intellectu fuit. Namqve illi ipsi custodes, si propitia fuissent voluntate,

luntate, foribus effractis servare eum potuissent, qvem illi inermes telum foris flagitantes vivum tenebant, cui cum succurreret nemo, Lyco qvidam Syracusanus per fenestras gladium dedit, qvo Dion interfectus est. Confecta cæde cùm multitudo visendi gratia introisset, nonnulli ab insciis pro noxiis conciduntur. nam celeri rumore delato Dioni vim allatam, multi concurrerant, qvibus tale facinus displicebat. Hi falsa suspicione ducti, immerentes inermes, ut sceleratos occidunt. Hujus de morte ut palàm factum est, mirabiliter vulgi immutata est voluntas. Nam qvi vivum eum tyrannum vocitarant, eundem liberatorem patriæ tyranniqve expulsorem prædicabant. Sic subito misericordia odio successerat, ut eum suo sangvine, si possent ab Acherunte cuperent redimere. Itaq; in urbe, celeberrimo loco elatus publicè, sepulchri monumento donatus est. diem obiit circiter annos qvinqvaginta qvinqve natus, qvartum post annum, qvàm ex Peloponneso in Siciliam redierat.

DION.

Dion.

NObilem propinqvitatem. *Nobilitas Sanguinis, Virtute non cassa, ad gratiam auctoritatemq; conciliandam non parùm facit mentemq; non ignavam à sordidis curis & plebeiis abductam actionibus, ad obeundas res arduas impellit. Majorum gloria posteris lumen est, inqvit Marius apud Salustium, qvod ne culpa sua suaq; ignavia extinguatur, nobili cavendum est Sanguini.*

Intimi Dionysio. *De Dionysiis infra cap. 21. Prior aliqva Virtutis simulacra habuit, ideoq; qvod in Tyranno aliàs rarum est fato suo functus decessit annorum satur & felicitatum, at Filius patre deterior Sceptro ferulam mutavit, hæres, ut ipse est dicere solitus, paterni Regni, non felicitatis, scil. fortuna suis cuiq; fingitur moribus, ut ait Cic. ex veteri Pœta in Parad. Hic cùm juvenis ingenui cujusdam viri uxorem adulterâsset, Pater rivatus eum interrogavit, an unqvam tale qvid de se Patre comperisset, ad qvod Filius, tu enim, inqvit, non habebas Patrem Regem, neq; tu,*

ait

ait Pater, Filium Regem habiturus es, nisi talia perpetrare desinas. Dion utriusq; dissimillimus, apud utrumq; aliquamdiu gratiosus extitit; qui verò cum tyrannicis conflictatur ingeniis, neq; animus ad scelera abducitur, eum scias raræ laudem Prudentiæ mereri ac tueri.

Crudeliter violatus. Quemadmodum Dion colloquio doctrinaq; Platonis mirificè delectatus, totum ei se tradidit & missis voluptatibus, quibus, in aula Tyranni educatus, assueverat, Sapientiæ ac Virtutis studio animum mancipavit, ita ejusdem Magistri παῤῥησίαν in coarguendis vitiis ægerrimè tulit Dionysius: quid enim violentius aure Tyranni? Juven. Sat. 4. cùm enim Plato negaret Tyrannos esse fortes & assereret beatam justorum, injustorum miseram esse vitam, ira ille inflammatus & exacerbatus ex eo quæsivit, quid in Siciliam venisset? Respondit ille: Virum bonum se quærere. Dimissus in navem conscendit, qua Pollis Spartiates in Græciam redibat; hunc rogavit Dionysius, ut in cursu eum vel occideret, vel venundaret æquè beatum fore asserens in servitute, cùm esset justus.

In

In Æginam itaq; venditus, in qua sancitum erat, ut capite plecteretur, quicunq; in insula Atheniensis appulisset, Patronum invenit, qui hac ipsum arte liberavit, astruens capite ex lege plectendum esse hominem Atheniensem, at Platonem esse Philosophum (æl. l. 16. c. 24.

Patri soporem. *Quod quandoq;,*
Filius ante diem patrios inquirat in annos.

Exemplis probari potest quàm plurimis, dum scilicet nimia regnandi cupiditas φορὰν omnem delet, ut liberi mori cogant quibus vitam debent, immani scelere. Ita Pharnaces Mithridatem Patrem, qui ultra quadraginta annos varia fortuna bellum gessit cum Romanis, bello persecutus mortem sibi consciscere coëgit, & Commodus, Antonini Philosophi impius filius fatali non expectata morte, veneno dato, Medicos Parentem necare jussit. Per soporem intelligitur soporiferum medicamentum, quod longo somno, ut mortem appellat Horat. od. 22. l. 3, Car. hominem tradit. Hi Medici solem adorant orientem, occidentem deserunt.

Phili-

Philistum Historicum. *Hic Dionysio Maj. ut habet Plutarchus in Dione, adjutor fuerat in occupanda stabiliendaq; tyrannide, Arcis præsidio Præfectus: cum verò Leptinis Fratris filiam duxisset uxorem, ut omnis tyrannis suspiciosa est, in suspicionem odiumq; Tyranni incidit eaq; gratia exterminatus Sicilia, Adriam concessit, ubi otio abundans Historiam conscripsit, temporis injuria perditam, homo vafer & callidus, qvem Magistrum improbum secutus Dionysius, misso Platone, animum ad deteriorem partem applicavit.*

Tantùm apud Dionysium. *Hunc Pater dicere solitus: solertes Amicos suspectos sibi esse, eò qvod sciret dominari eos malle, qvàm parere: secretò educari jusserat, animi cultura planè neglecta, veritus, ne consuetudine usus cordatorum hominum insidiaretur sibi seq; dominatu spoliaret. Idem tamen Platonis honorificè acceptî adeò captus est doctrina atq; eloqventia, ut, tyrannicis animis positis, de potestate deponenda cogitaret, multò certè æqvius leniusq; aliqvamdiu imperaret. Tanta vis Eloqventiæ est, ea Sapientiæ dulcedo &c.*

Ut

Ut indulgendo. *Ceream in vitium flecti adolescentiam nihil magis, quàm nimia corumpit indulgentia: Facilitas enim, dicente Comico, mala multa docet & Licentia, dicto Sapientis, Virtutum noverca, fenestram ad omnem nequitiam patefacit, hinc Dionysius Dioni gravius nocuit, indulgentia sua corrumpendo filium, quàm si necasset: mors enim turpitudini anteponenda Cic. 1. Off. & degeneres liberi, Augusti verbo, vomicæ sunt & carcinomata Parentum.*

Custodes appositi. *Eleganter. Tacitus: circumjecti custodes i.e. dati Magistri, qui animum lascivia & luxuria diffluentem ad meliorem frugem revocarent, Ita Senex servum, quem abiens domo filio quasi Magistrum reliquerat, custodem & columen familiæ dicit in Phorm. Act. 2. Sc. 1. At quem voluptas, improba illa Siren, semel complexa tenet, lascivis hederis ambitiosior, ægerrimè dimittit, utq; in Medico non est semper, relevetur ut æger, ita neq; in Magistro, ut quovis è ligno fiat Mercurius. Annon M. Aurelius Imp. Commodo filio novem dedit Magistros, vi-*

ros virtute & doctrina præstantissimos, infelicissima tamen fuit educatio: cui enim infelici novem fuere Magistri à quibus educatus est, plus quàm novem millia fuere vitiorum, quibus fuit contaminatus, ut loquitur Anton. de Guevar. Horol. Princ. l. 2. c. 44.

Odio Tyranni. *Quis enim amicus Tyranno sit omnis humanitatis hosti? Officio ac fide parantur amici, ait Micipsa apud Salust. in bell. Jugurt. sed istorum nihil in tyranno reperias, quem verò oderunt homines, periisse expetunt, Cic. 2. Off. Alexander Pheræus ab uxore sua Thebe, quam admodùm diligebat, est interfectus. In Phalaridem totâ Agrigentinorum multitudo impetum fecit. Id. 2. Off. Alexander M. apud Curt. l. 9. Philippus in acie tutior, quàm in theatro fuit, hostium manus sæpe vitavit, suorum effugere non valuit. Aliorum quoq; Regum exitus si reputaveritis, plures à suis, quàm ab hoste interemtos numerabitis.*

Urbis Syracusarum. *Hæc olim metropolis Siciliæ fuit, Urbs maxima ex quatuor magnis Urbibus conflata, quarum prima di-*

ma dicebatur Insula, altera Acradina, tertia Tyche, à fano Fortunæ, quarta Neapolis, hinc à Poëta dictæ quadruplices Syracusæ. Nobilis illa Archimede Mathematico, qui hostium naves mira arte incendit & Poëta Theocrito, quem imitatus in Eclogis est Virgilius, infamis luxu: unde Syracusana mensa pro lauta & opipara accipi solet.

Fortuna sua mobilitate. *Nihil in vita constans esse præter inconstantiam, docet experientia, passibus ambiguis fortuna volubilis errat. Hinc Dubia dicta à Romanis. Publio Syro Vitrea, Auctori ad Herenn. l. 2. mulier insana, cœca, globo rotundo insistens, quomodo etiam depingitur in Tab. Cebet. valet ima summis mutare, Horat. od. 34. l. 1. quem ad suprema extulit honorum fastigia, ad ima subitò detrudit subsellia, exemplo fuit Sejanus. Saniores illud non fortunæ, sed divinæ tribuunt Providentiæ, hinc Æsopus interrogatus, quid in cœlis ageret DEUS, respondit: humilia extollit, deprimit excelsa.*

ῥῆα μὲν γὰρ βελέεσι, ῥέα δὲ βελέοντα καλέσσαι.

He

Hes. l. 1. Op. Qui hæc nôsti, altos negere spiritus, sed discere supercilium deponere, magna cadunt, inflata crepant, tumefacta premuntur, Prud. in Psychom.

Orta dissensione. *Cùm Heraclides, qui in liberanda patria non instrenuum sese præbuerat, auctoritate propemodum par esse Dioni videretur, ortæ sunt factiones utrique exitiales, inducta in Civitatem est res perniciosissima, seditio atque discordia, ut loqvitur Cicero 1. Off. uti rivalem amans, ita Princeps in Rep. socium ferre vix potest, Pompejus, si parem tulisset, aut Cæsar superiorem, uterque tàm crudeli mortis genere non perissent.*

Ex secunda Rhapsodia. *Ita inscribuntur Libri Homeri, Poetæ ut antiquissimi, ita clarissimi, cujus cum carmina passim dispersa legerentur, Aristarchus nobilis quidam Criticus ortus est,*

Qui sacrum laceri collegit corpus Homeri,

is versus nothos ὀβελίσκῳ *i.e. minuto veru, genuinos* ἀστερίσκῳ *i.e. stellula notavit & hinc Homeri Carmina dicta sunt Rhapsodiæ i.e. consuta & consarcinata*

carmina ῥάπ|ω, suo, ῳδὴ, cantus vel carmen. Versus Homericus hic est:

Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔστω,

Εἷς βασιλεύς.

Cùm enim Græci milites ad Trojam tumultuarentur & diturnæ obsidionis pertæsi adversus imperia Agamemnonis, summi Ducis insurgerent, deq; fuga cogitarent, Ulysses eosdem hoc versu ad obsequia Duci præstanda revocabat. Eundem versum Caligulam tyrannum in ore frequenter habuisse refert Sueton. in Vit. & quidem Monarchiam cæteris Rerump. speciebus præferendam esse, omnes propemodùm censent Politici. Apud Herod. l. 3. Persarum Principes disputant, quænam Politiarũ sit optima, Otanes Politiã, Aristocratiam Megabyzus præfert, Darius Hystaspis F. Monarchiam, & hujus sententia approbatur.

Licentius eorum bona. Honores mutant mores vereq;, ut ait Cic. in Læl. fortuna non tantùm cæca est, sed eos etiam cæcos efficit, quos complexa est, vel ut habet P. Syrus: Fortuna, quem nimiùm fovet,

vet, stultum facit. Certè in Platonis schola Dion hæc non didicerat, quæ in Dionysio erat persecutus, ipse, sui immemor, patrat, libertatis, quam vindicârat, oppressor. Ita fit nescio quomodo, ut magis in aliis cernamus, quàm in nobismet ipsis, si quid delinquitur. Cic. 1. Off. in alios acerbi Censores, nobis facilè ignoscimus φίλαυτοι, Suffeni; Lynceï foris, domi talpæ & Tiresiæ.

Pecunia deesse cœpit. Largitio non habet fundum Cic. 2. Off. eâ, quæ comparatur gratia lubrica est, dubia, brevis: nam simul atq; quod des, deest, cessat benevolentia; quod si ad Amicorum possessiones manus tendas rapaces, sicq; cum Nerone id agas, ne quis quicquam habeat, in gravissimã offensum incidas odiumq; necesse est. Refè Tiber. ap. Tac. Si Ærarium ambitione (ambitiosis largitionibus) exhauserimus, per scelera supplendum fuerit.

Callicrates quidam Cives Athen. Callippum hunc vocat Plutarchus, subleste hominem fidei, patriæ suæ dedecus. Alioqui de Urbe Athenarum verè dictum videtur, eam Viros, qui Virtutem sectentur, optimos & qui vitia, ferre teterrimos, uti

mel optimum tellus Attica, & cicutam edit exitiosissimam.

Imprudentia Dionis. *Si illud Epicharmi:* νῖφε χ μέμνησο ἀπιστεῖν, *sobrius esto & memento diffidere, melius Dion observâsset, simulata captus non perisset Amicitia: uti nulli fidere inhumanum est; ita omnibus stultum. Theognis hoc versu prudentem suadet diffidentiam:*

Πίστει χρήματ' ὄλεσσα, ἀπιστίῃ δ' ἐσάωσα,

Fiduciâ opes perdidi, diffidentiâ verò servavi.

Dion verò, referente Plut. in Vit. ingenuè fassus est malle se cuivis præbere jugulum & quamvis subire mortem, quàm ita vivere, ut ab Amicis æquè atq; inimicis cavendum sibi sit. Conjurationem hanc & cruentam mortem spectrum quoddam immane denunciavit: nam cùm sero diei domi suæ sederet in porticu cogitabundus, strepitu repente facto, respiciens clara adhuc luce ad alteram porticus partem conspexit grandem mulierem, cultu & facie nihil à tragica abhorrentem furia, quæ scopis domum verrebat. Quod visum consecuta est

ta est mors Filii, qui tecto se dedit præcipitem & ipsius cædes Dionis. Jd. ib.

Vulgi immutata voluntas. *Vulgus* à Poëta rectè dicitur mobile, cui non incommodè applicatur illud Terentii A. 5. Sc. 8. Phorm. *Nolo, volo: volo, nolo, rursum cedo, cape, quod dictum, indictum est. A Platone vulgus dicitur φαῦλος κριτὴς παντὸς καλοῦ πράγματος, malus Judex omnis honestæ rei. Quem paullò antè Tyrannum non ferendum dixerat, post fata ultima Liberatorem appellitat. Ita Cicero, aliàs supra vulgus sapiens, florentem Cæsarem in Cœlum usq; effert laudibus, cæsum Tyrannum crudelem dictitat, proinde stultè facit, qui ab aura tàm fallaci fortunas suas suspendit.*

Ab Acherunte redimere. *Ciceroni in Orat. pro M. Marc. id est ab inferis excitare. Acheron, & Plauto Acheruns fluvius est apud inferos, cui nomen ab ἄχος, mœror & ῥέω, fluo, quasi dicas mœstitiæ fluvius. Eleganter Macrob. l. 1. in Somn. Scip. c. 10. ad hanc vitam accommodat, quæ de inferis fabulata est antiquitas, nempe Lethe, sive fluvius oblivionis nihil aliud*

est, quàm error animæ oblivisscentis majestatem vitæ prioris, quâ antequam in corpus truderetur, potita est. Phlegethon notat ardores irarum & cupiditatum. Acheron, quicquid dixisse nos ac fecisse cum mœrore pœnitet. Cocytus, quicquid in luctum homines lacrymasq; compellit. Ita hæc vita mors est, cumq; anima corporis hujus vinculis, tanquam carcere evolat, tum demum vivere incipit.

Axiomata.

1. Magna corporis dignitas, si cum virtute sit conjuncta, non minimùm commendat. Tac. l. 13. Ann. c. 8. Corporis dignitas Duci admirationem, tàm apud suos, quàm apud hostes conciliat. Ita in Iphicrate laudatur forma Imperatoria, Apud Curt. l. 7. Scytharum Legati admissi in tabernaculum Alexandri jussiq; considere in vultu Regis defigebant oculos, quia corporis magnitudine animum æstimantibus, modicus hautquaquam famæ par esse videbatur.
2. Suadere Principi res multi laboris, in-

quis

quit Tacitus. Addo & magni periculi, cum eo Philosophi monito conversandum ἢ ὡς ἥδιστα, ἢ ὡς ἥδιστα, aut quàm rarissimè, aut quàm suavissimè.

3. Platoni in Aula vix locus, ubi Veritati plerumq; aures clausæ sunt semper q; ab optimis consiliis Philistus aliquis animos Imperantium avertit abstrahitq;.

4. Fidelissimæ Principum custodes vitæ innocentia & Parentium Benevolentia, hinc Dion. ap. Plut. Adamantinas, ait, compedes, quibus Imperium suum se munisse dixerat Dionysius Maj. non esse metum, vim, ingentem classem, sed benevolentiam, sed studium, sed favorem parentium.

5. Nemo non est è viris generosis & illustribus, qui non æquiore animo ictum saxi in capite, quàm plagam in fama sustineat: nam capitis vulnus mensis spacio solidatur, famæ verò macula ne tota quidem vita potest elui. Ant. Guevar. in Proœm. Pr. Horol. ad Carolum V.

6. *Brevis est magni fortuna favoris. Magnis negatum stare diu & Stat. in Sylv.*
- *Heu durus fati tenor! estne, quod illi*
Non liceat?

Pulchri sunt versus C. Laberii Mimographi laudati à Gellio, victus ille à P. Syro animo id tulit æquissimo inquiens:

Non possunt primi esse omnes omni tempore,
Summum ad gradum cum claritatis veneris
Consistes ægrè & citius, quàm descendas, decides.
Cecidi ego, cadet, qui sequitur, laus est publica.

Dion.

RAra dote Dion beatus, ortu
Clarus, Consilio potens, peritus
Dicendi, Dionysius Tyrannis
Charus, Socratico Platoni amicus,
Qui suadente Dione, dum Tyrannos
A seva revocare diritate
Audet, pene perit. Dionem ab Aula
Submovet Dionysii Minoris
Formido, aucta dolo mali Philisti.
At binis rediens Dion carinis

Con-

Confisusq; odio feri Tyranni,
Hujus vertit opes, Sicana Regna
Expugnans, facili labore Victor,
Ablegans Dionysium Corinthum.
Infelix tamen insolente fastu
Dum gestat sua Sceptra, dum rapinis
Gaudet cædeq; decoquit favorem
Famamq; inquinat & cadit peremptus
Vafri Callicratis dolo, doletq;
Vulgus mobile tàm truci perisse
Letho, tot meritis Virum celebrem,
Quem donat memori dolens sepulchro

IPHICRATES.

IPHICRATES Athenienſis non tam genere, aut magnitudine rerum geſtarum, qvàm diſciplina militari nobilitatus eſt. Fuit enim talis dux, ut non ſolùm ætatis ſuæ cum primis compararetur, ſed ne de majoribus natu qvidem qviſqvam anteponeretur. Multùm verò in bello eſt verſatus, ſæpè exercitibus præfuit, nuſqvam culpa malè rem geſſit, ſemper conſilio vicit, tantumqve eo valuit, ut multa in re militari partim nova attulerit, partim meliora fecerit.

namqve ille pedestria arma mutavit, cùm ante illum imperatores maximis clypeis, brevibusqve hastis, minutis gladiis uterentur; ille contrariò peltam pro parma fecit, à qvâ postea peltastæ pedites appellantur, ut ad motus, concursusq; essent leviores. hastæ modum duplicavit, gladios longiores fecit, idem genus loricarum mutavit, & pro ferreis, atqve æneis linteas dedit. Qvo facto expeditiores milites reddidit. nam pondere detracto, ut æqvè corpus tegerent & leves essent, curavit. Bellum cum Thracibus gesit; Seuthen socium Athenienſium in regnum restituit. Apud Corinthum tanta severitate exercitui præfuit, ut nullæ unqvam in Græcia neqve exercitatiores copiæ, neqve magis dicto audientes fuerint duci: in eamqve consvetudinem adduxit, ut, cùm prælii signum ab imperatore esset datum, sine ducis opera sic ordinatæ consisterent, ut singuli a peritissimo imperatore dispositi viderentur. Hoc exercitu moram Lacedæmoniorum intercepit, qvòd maximè tota celebratum

est

est Græcia. Iterum eodem bello omnes copias eorum fugavit. qvo facto magnam adeptus est gloriam. Cum Artaxerxes Ægyptio regi bellum inferre voluit, Iphicratem ab Athenienſibus petivit ducem, qvem præficeret exercitui conducto, cujus numerus duodecim millium fuit. qvem qvidem ſic omni diſciplina militari erudivit, ut, qvemadmodum qvondam Fabiani milites Romani appellati ſunt, ſic Iphicratenſes apud Græcos in ſumma laude fuerint. idem ſubſidio Lacedæmoniis profectus, Epaminondæ retardavit impetus. nam niſi ejus adventus appropinqvaſſet, non prius Thebani Sparta abſceſſiſſent, qvam captam incendio deleſſent. Fuit autem & animo magno, & corpore, imperatoriaq; forma, ut ipſo aſpectu cuivis injiceret admirationem ſui, ſed in labore remiſſus nimis, parumqve patiens, ut Theopompus memoriæ prodidit. bonus verò civis, fideqve magna, qvod cùm in aliis rebus declaraverit, tum maximè in Amyntæ Macedonis liberis tuendis. namqve Eurydice mater Perdi-

cæ & Philippi cum his duobus pueris, Amynta mortuo, ad Iphicratem confugit, ejusqve opibus defensa est. Vixit ad senectutem placatis in se suorum civium animis. causam capitis semel dixit bello sociali simul cum Timotheo, eoq; judicio est absolutus. Menesthea filium reliqvit ex Thressa natum, Coti regis filia. Is cùm interrogaretur, utrum pluris patrem matrémve faceret: matrem, inqvit. Id cùm omnibus mirum videretur: at ille meritò, inqvit, facio. Nam pater, qvantum in se fuit Thracem me genuit: contrà mater Athenienſem.

Iphicrates.

DIsciplina militari nobilitatus. *Prima Imperatoris cura sit, ut eandem servet incolumen, Ea præcipuum decus & stabilmentum Imperii Romani extitit Val. Max. l. 2. c. 7. Hinc P. Scipio Numantinorum ferociam repressurus, exercitum licentia luxuriâq; coruptum, severitate & munificentia ad generosissimam disciplinæ severitatem revocavit, scorta castris ejecit & omnia deliciarum instrumenta sustulit atq;*

ita

ita hostes superiorum ignavia Ducum victores vicit ac funditùs extirpavit. Florus l. 2. c. 18. Manlius Torquatus filium, quod se insciò ab hoste provocatus pugnasset, feliciter licèt, necari jussit. Contrà severiore neglecta Disciplina Hannibali Campanæ magis nocuere deliciæ, quàm Romana virtus & arma tàm latè victricia.

Consilio vicit. *Infra c. 14. Datamen non magnitudine copiarum sed consilii, quo tantùm non omnes superârit, res magnas ait gessisse, Supra c. 2. Xerxem tanti Ducem exercitus magis consilio Themistoclis victum esse affirmat, quàm armis Græciæ, unde Tiberius in literis ad Germanicum gloriatur se novies ab Augusto in Germaniam missum, plura consilio, quam vi perfeciſſe. Tac. l. 1. Annal. c. 26.*

Peltam pro parma. *Parma rotunda erat, Pelta scutum brevissimum lunæ crescentis similitudinem referens, hinc pelta lunata dicta. Virg. 1. Æn.*

Ducit Amazonidum lunatis agmina peltis
Penthesilea furens.

Aliàs Clypeo miles totum corpus, galea caput, lorica pectus tegebat, Egesipp. l. 3. c. 24.

Felix

Felix inventionum fuit Iphicrates, qui & calceamenta levia ac solutu facilia militibus fecit, quæ dicta Iphicratides Diod. l. 15. hinc error natus sutoris Iphicratem filium fuisse.

Sic ordinatæ consisterent.] *De militibus Alexandri M. Charidemus apud Curt. l. 3. ad nutum monentis intenti, sequi signa, ordines servare didicere, quod imperatur, omnes exaudiunt, obsistere, circuire, discurrere in cornu, mutare pugnam, non duces magis, quàm milites callent.*

Moram Lacedæmoniorum. *A græco verbo μείρομαι, partior. μόρα est portio, apud Lacedæmonios cohors militaris, quam Ephorus ait quingentorum esse militum, nonnulli nongentorum, Plut. in Pelop. Apud Macedones Phalanx, stabile agmen continens octo peditum millia, apud Romanos Legio, in qua numerus militum fuit incertus.*

Fabiani milites. *Bonus dux bonum facit comitem, Imperator Militem. Gens Fabia Romæ nobilissima, quæ venia à Patribus impetrata Vejentes hostes debellatura, trecentos Fabios porta, quæ inde Scelerata*

rata dicta, emisit, qui omnes casi sunt, uno domi relicto Fabio impubere. Ovid. 2. Fast.

Una dies Fabios ad bellum miserat omnes,
Ad bellum missos abstulit una dies.

In Fabiis excelluit Fabius Maximus, qui prudenti cunctatione feroces Hannibalis impetus fregit, ob id dictus Cunctator & Scutum Imperii. Idem rigidus disciplinæ militaris custos, vid. Liv. & Florus.

Eurydice mater. *Uxor hæc impia Amyntæ, viri omnibus Imperatoris Virtutibus instructi, ut adultero, filiæ Euryones marito, regnum traderet, Alexandrum & Perdiccam liberos veneno sustulit, cujus & insidiis Amyntas occubuisset, nisi sceleris consilia ipsa filia prodidisset. Hujus extitit filius Philippus is, qui Macedoniæ Regnum, subacta tota Græcia, ad summam potentiam evexit, vid. Supplem. in Curt. lib. 1.*

Ex Thressa. *Thraces vinosi, inhumani, etiam stupidi habebantur, unde Juvenalis Democritum Thracem, ait:*

Vervecum in patria crassoq; sub aëre natum;

Athe-

Athenienses verò omnis elegantiæ, & humanitatis studiosi, qua gratia Plato Diis agebat gratias, quod Athenis, non in solo barbaro natus esset. Tam autem dispares mores disparia sequuntur studia, quorum dissimilitudo dissociat amicitias Cic. in Læl. ideoq; Iphicrates rectè & ordine feciſſe haut videtur uxorem barbaram domum ducendo. Plut. de puer Educ. Spartanos refert Archidamum pecunia multaſſe, quod uxorem duxiſſet puſillam, Regulos ſibi, non Reges generaturus, horum certè judicio animadverſionem non effugiſſet Iphicrates, uxore ducta barbara ſemibarbaros educaturus liberos, nam plerumq; virtutes vitiaq; Parentum cum ſanguine propagantur.

Axiomata.

1. *Imperatoris in diſciplina militari ſervanda ſeveritas, tum exercitum confirmat & bellicoſiorem reddit, tum etiam hoſtem terret. Tacit. l. XI. Annal. Auguſtus Imp. militem aliquando vendi juſſit, eò quòd parere neſciret.*
2. *Majores conſilio res, quàm vi geruntur.*

Quid

Qvid sine consiliis omnes illi bellorum apparatus? Fumus. qvid Viri? Funus. Lipſ. 5. Polit. c. 26.

3. *Magna corporis dignitas non minimùm commendat. N. in Dione: uti enim in ampla pulchraq; extructa domo vir magnificus & illustris habitare creditur, ita in corpore magno & maximè decoro animus magnus. Interdum tamen optima ingenia pessimè habitant & contrà in magno nulla est corpore mica salis, ut ait Græcus:*

Παχεῖα γαστὴρ λεπτὸν οὐ τίκτει νόον
Crassus venter tenuem non parit mentem

4. *Conjugii jugum subeant pares Religione, ætate, opibus, genere, moribus, inter dissimiles vita conjugia funesta sæpius, qvàm festa fuerunt. Prudenter monet Hesiodus l. 2. Oper.*

Τλῆδε μάλιστα γαμεῖν, ὅστις σέθεν ἐγγύθι ναίει.
Uxorem ducito, qvæ te prope habitat.

Iphi-

Iphicrates.

Scisse, qvod eximii nosse est Ducis, atq; militari
Et Disciplinâ & Arte claruisse
Iphicratem *notum est, aptissima qvi dedit peritus*
Pugnæ magister arma prælianti,
Mutatis parmis hastisq;, ita militem erudivit
Adesse signis, stare progredive,
Inter laudatos ut publica fama prædicarit
Iphicratisq; milites Fabiq;.
Magno animo, magno qvoq; corpore & eminente formâ
Interq; magnos magnus Imperator
Iphicrates, civi charissimus ultimam senectam,
Solutam acerbis attigit querelis.

CHABRIAS.

CHABRIAS Athenienſis. Hic qvoqve in ſummis habitus eſt ducibus, resqve multas memoria dignas geſſit. Sed ex his elucet maximè inventum ejus in prælio, qvod apud Thebas fecit, cum Bœo-

Bœotiis subsidio venisset. namqve in eo victoria fidente summo duce Agesilao, fugatis jam ab eo conductitiis catervis, reliqvam phalangem loco vetuit cedere, obnixoqve genu scuto, projectaq; hasta impetum excipere hostium docuit. Id novum Agesilaus intuens, progredi non est ausus, suosqve jam incurrentes tuba revocavit. Hoc usq; eò in Græcia fama celebratum est, ut illo statu Chabrias sibi statuam fieri voluerit, qvæ publicè ei ab Athenienſibus in foro constituta est. Ex qvo factum est, ut postea athletæ, cæteriqve artifices his statibus in statuis ponendis uterentur, in qvibus victoriam essent adepti. Chabrias autem multa in Europa bella administravit, cùm dux Athenienſium esset: multa in Ægypto sua sponte gessit. nam Nectanebum adjutum profectus, regnum ei constituit. Fecit idem Cypri, sed publicè ab Athenienſibus Evagoræ adjutor datus, neqve prius inde discesſit, qvàm totam insulam bello devinceret, qva ex re Athenienses magnam gloriam sunt adepti. Interim

bellum

bellum inter Ægyptios & Persas conflatum est: & Athenienses cum Artaxerxe societatem habebant, Lacedæmonii cum Ægyptiis, à qvibus magnas prædas Agesilaus rex eorum faciebat. Id intuens Chabrias, cùm in re nulla Agesilao cederet, sua sponte eos adjutum profectus, Ægyptiæ classi præfuit: pedestribus copiis Agesilaus. Tum præfecti regis Persiæ legatos miserunt Athenas qvestum, qvòd Chabrias adversum regem bellum gereret cum Ægyptiis. Athenienses diem certam Chabriæ præstituerunt, qvam ante domum nisi redisset, capitis se illum damnaturos denunciârunt. Hoc ille nuncio Athenas rediit, neqve ibi diutius est moratus, qvàm fuit necesse. Non enim libenter erat ante oculos civium suorum, qvòd & vivebat lautè, & indulgebat sibi liberalius, qvàm ut invidiam vulgi posset effugere. Est enim hoc commune vitium in magnis, liberisq; civitatibus, ut invidia gloriæ comes sit, & libenter de his detrahant, qvos emergere videant altius: neqve animo æqvo pauperes

alienam

alienam opulentiam intuentur fortunam. Itaqve Chabrias, qvoad ei licebat, plurimum aberat. Neqve verò solus ille aberat Athenis libenter, sed omnes ferè Principes fecerunt idem: qvod tantum se ab invidia putabant abfuturos, qvantum à conspectu suorum recessissent. Itaque Conon plurimum Cypri vixit, Iphicrates in Thracia, Timotheus Lesbi, Chares in Sigæo. Dissimilis qvidem Chares eorum & factis & moribus, sed tamen Athenis & honoratus & potens. Chabrias autē periit bello sociali tali modo. oppugnabant Athenienses Chium. erat in classe Chabrias privatus, sed omnes qvi in magistratu erant, auctoritate anteibat, eumqve magis milites, qvam qvi præerant, aspiciebant. Qvæ res ei maturavit mortem. nam dum primus studet portum intrare, & gubernatorem jubet eò dirigere navem: ipse sibi perniciei fuit. Cùm enim eò penetrasset, cæteræ non sunt secutæ. Qvo facto circumfusus hostium concursu, cùm fortissimè pugnaret, navis rostro percussa, cœpit sidere,

dere. hinc cùm retugere posset, si se in mare dejecisset, qvòd suberat classis Athenienſium, qvæ exciperet natantem, perire maluit, qvàm armis abjectis navem relinqvere, in qva fuerat vectus. Id cæteri facere noluerunt, qvi nando in tutum pervenerunt. At ille præstare honestam mortem existimans turpi vitæ, cominus pugnans telis hostium interfectus est.

Chabrias.

Conductitiis catervis. *Aliud apud Cæsarem est: omnes opes copiasq; conducunt i.e. in unum locum colligunt, aliud cùm ait Charidemus Dario apud Curt. l. 3. argentum istud atq; aurum ad conducendum militem mitte i.e. mercede colligendum: erant milites alii domestici, alii pecuniâ conducti. Apud Romanos exercitus distribuebatur in Legiones, Socios, Auxilia. Milites Legionarii ferè Romani erant, Socii Italici, Auxilia alienigenæ mercede conducti, qvi laboranti exercitui subsidio veniebant.*

Illo statu. *Certus habitus corporis vocatur*

catur Status, Græcis σχῆμα, uti ait Herodian. l.1. ἀνὴρ φιλοσόφῳ φέρων σχῆμα, vir Philosophi gerens habitum. Statura corpori adscribitur, status ad habitum refertur. Plautus Mil. Glorios. 4, Sc. 9. in statu stat senex, ut adoriatur mœchum, addit Taubmannus: alludit ad modum, quo Gladiatores se componebant & colligebant in arma, insigni cura sui defendendi, alterius petendi, quam ex arte posituram vocabant Statum.

In statuis ponendis. *Benè meritis statuas ponere ad conservandam propagandamq; nominis memoriam, adscriptis elogiis, omnium penè gentium mos fuit antiquissimus. Ita Athenienses nescio an primi omnium Harmodio & Aristogitoni, Tyrannicidis publicè posuere statuas. Plin. l.34. c.4. ita & Spartani his, qui in re militari edidissent fortia facinora & Romani illis, qui doni forisve egregiè rem gesserant, in rostris aut foro erigebant columnas marmoreas, æneas &c. Demosthenis vita functo Athenienses statuam ex ære posuerunt & maximo gentis victum decre-*

vere ex Prytanéo præbendum. Statuæ basi inscriptum erat:

Εἰπερ ἴσην ῥώμην γνώμῃ, Δημόσθενες, εἶχες,
οὔποτ' ἂν ἑλλήνων ἦρξεν Ἄρης Μακεδόνων

Quod ita vertit interpres:

Menti Demosthenes par si tu robur haberes,
Non foret Æmathiâ Græcia victa manu,

Plut. in Dem. Antonio Musæ, Medico, ideò quod feliciter curâsset Augustum graviter decumbentem, erecta statua. Suet. in Aug. at

Non incisa notis marmora publicis.
Per quæ Spiritus & vita redit bonis
Post mortem Ducibus & c. clarius indicant
Laudes, quàm Calabræ Pierides neq;
Si chartæ sileant, quod benè feceris
Mercedem tuleris

Ut ait venustè verèq; Horat. l. 4. Carm. od. 8.

Nam Nectanebum Plut. in Ages. rem ita narrat. Agesilaus à patria subsidio missus Ægyptiis, primùm Tachum adjuvit, à quo

à qvo cùm negligentius haberetur, ad Nectanebum, qvem Ægyptii Regem renuntiaverant, transiit, Chabrias verò sponte sua domo profectus primùm itidem à Tachi stetit partibus & classi præfuit, hinc eundem desertum ad Persas fugere coëgit, cumq; initiò Agesilaum in amicitia Tachi retinere studeret, ille, Tibi, inqvit, Chabria, qvi sponte tua huc veniisti, tuo utendi consilio facultas est, ego à Patria datus sum Ægyptiis Dux, qvare improbè fecero, si ad qvos missus socius sum, hos impugnavero, nisi aliud imperet Patria.

Magnas prædas faciebat. *Prædas facere pro cogere, latina phrasis est, at rarior. Ægyptus, prædives Regio olim numeravit viginti Urbium millia. Pluvias nescit, at stato tempore, nempe post solstitium æstivale ab exundante Nilo irrigata terra, fructus fert lætissimos. Poëta:*

Terra suis contenta bonis, non indiga mercis
Aut Jovis, in solo tanta est fiducia Nilo.

Invidiam vulgi. *Invidia dolor est animi ex alicujus commodis, ut ait Seneca, Vulgo*

vitium familiare, quod, dicente Tacito, ægris oculis alienam felicitatem intuetur. Multi in eo Mutii, cum Mutium quendam malevolum invidumq; apud Romanos solito tristiorem vidisset Publius, adjecit: aut Mutio, nescio quid incommodi accidit, aut, nescio cui, aliquid boni. Pauci cum Plinio l. 1. Ep. 10. ex ea re voluptatem capiunt, si ea, quæ sibi denegantur, Amicis supereſſe videant.

Opulentium fortunam. *Quemadmodum benigniorem vicini segetem & majores farris acervos colonus cum gemitu spectat, ita plebi contemtæ abjectæq; oculi dolent, si quem negatis sibi opibus, honore, gloria florere videat, unde quidam interrogatus, quomodo vitare posset invidiam, respondet: si nihil ex magnis rebus habueris, aut nihil feliciter prospereq; gesseris: nam sola miseria caret invidia. De hac verè Ovid. l. 2. Met.*

Sed videt ingratos intabescitq; videndo
Successus hominum.

Hor. l. 1. ep. 2. Invidus alterius macrescit rebus opimis. Opulens pro opulento dixere Veteres, ut violens pro violento.

A con-

A conspectu Suorum recessissent. *Ut oculi dolorem, ita augent invidiam, si aliena semper his ingeratur felicitas, hinc Sen. ep. 17. Invidiam effugies, si te non ingesseris oculis: si bona tua non jactaveris, si sciveris in sinu gaudere. Horat. Ep. 17. l. 1.*

Tacitus pasci si posset corvus, haberet
Plus dapis & rixæ multò minus invidiaq;.

Dissimilis horum Chares. *Auctoritate atq; honore par, ut impar Virtute famaq; integritatis; qvi cum ambitione sua ac temeritate malè rem gessisset publicam, compluribus amissis navibus, culpam in Timotheum & Iphicratem, Clarissimos Duces, ob id proditionis damnatos, conferebat. Vid. cap. seq. Dignitas indignis non raro confertur, negata Dignissimis.*

Bello Sociali. *Romanis erant Socii: qvi certo cum ipsis fœdere conjuncti erant. Bellum Sociale, qvod cum Sociis geritur, ut sociale fœdus inter Socios initum. Chius insula est Joniæ adjacens, cujus promontorium Arvisium vino nomen fecit arvisio* Malvasier.

Perire maluit. *De Chabria dici potuit,*

quod de Alexandro cum Dario præliante Curt. l. 3. non Ducis magis, quàm militis munera exequebatur, & quanquam salutis suæ fuga consulere potuisset, perire tamen, quàm fugere & vitam, quàm arma amittere maluit, & Dux & miles fortissimus, & quidem, ut ait Tyrtæus de Virt. Bell.

Τεθνάμεναι μὲν καλὸν ὅτι προμάχοισι πεσόντα
Ἄνδρ' ἀγαθὸν, περὶ ᾗ πατρίδι μαρναμένον.

Mori quidem honestum in prima acie cadentem,
Virum fortem pro sua patria pugnantem.

Certè arma abjicere probrosum semper fuit militi, unde Horatius, Poeta melior, quàm miles, fatetur in prælio se fugisse relicta non benè parmula od. 7. l. 2. Carm. imò Spartani Archilochum Poet. finibus suis ejecerunt, eo quod scripsisset satius esse clypeum abjicere, quàm interire, interim tamen omnis vitanda temeritas, cum stultum sit temerè se offerre periculo Cic. 1. Off. Eurip. in Phœniss.

Ἀσφα-

Ασφαλὴς μὲν ἐς᾽ ἀμείνων ἢ θρασὺς στρατηλάτης,
Melior est Dux cautus, quàm projectè audaculus.

Fabius ad Æmyl. Paulum Urbe proficiscentem adversus Hannibalem: omnia audentem contemnet Annibal, nil temerè agentem metuet, festinatio improvida est & cœca. Interdum & is, qui fugit & majori se periculo reservat, laudem meretur, hinc Varroni Cons. ex clade Cannensi in Urbem redeunti, ab omnibus Ordinibus actæ sunt gratiæ, quod de Rep. non desperâsset. Livius. Cùm Demosthenis probro daretur, quod ῥήτωρ esset, hoc versiculo se defendet.

Ἀνὴρ δὲ φεύγων κ᾽ πάλιν μαχήσεται
Vir fugiens rursus integrabit prælium.

Axiomata.

1. *Inventa salutaria magni æstimanda & rerum novarum, neq; inutilium Inventores, jugi colendi memoria, verè* ἄνδρες δαιμόνιοι.
2. *Ut sæpius ventis agitatur ingens pinus feriuntq; summos fulmina montes*

Hor. od. 10. l. 2. Carm. ita potentes illi, dites, fortunati, nobiles invidiæ telis maximè sunt expositi. Invidia Felicitatis est Filia, Gloriæ comes, Virtutis umbra.

3. *Vir princeps in foro rarus appareat, qvantumq́ potest, à freqventiore vulgi conspectu se submoveat, ne invidos torqveat oculos & cùm auctoritatem tùm desiderium sui minuat. Qværis, ait Seneca ep. 7. quid tibi præcipuè vitandum existimem? Turbam.*

4. *Qvibus hoste conspecto*

Παραὶ ποσὶ κάππεσε θυμὸς,

ut loquitur Homerus, crucem merentur non unam milites, galeati lepores, uti Cornificius eosdem appellabat.

5. *Honesta mors turpi vitæ præstat, vel, ut habet Græcus,*

Καλῶς θανεῖν ἄμεινον, ἢ ζῆν οὐ καλῶς

Honestè mori melius, qvàm vivere non honestè,

vel, ut loqvitur Ajax Telamonius apud Sophoclem:

Αλλ'

Αλλ' ἢ καλῶς ζῆν ἢ καλῶς τεθνηκέναι

Τὸν εὐγενῆ χρή.

Sed aut honestè vivere aut honestè mori Generosum decet.

Dignitas sine vita potior esse debet viro bono, qvàm vita sine dignitate. Honesta mors immortalitas est.

Chabrias.

ET *sonante barbito*
Canit merentem Chabriam *Camœna,*
Multa jussus, & suâ
Non pauca sponte bella qvi gerendo,
Gloriam per omnes
Diffudit oras, accolisq; Nili
Incolisq; Cypriis
Notus subactis, Lumina invidorum
Civium catus fugit,
Fugâq;, pugnans, cæteris periclo
Terga subtrahentibus.
Cadit, interemtus hostilis sariſſis.

TIMOTHEUS.

TIMOTHEUS, Cimonis filius, Athenienſis. hic à patre acceptam gloriam multis auxit virtutibus. fuit enim diſertus, impiger, laborioſus, rei militaris peritus, neqve minus civitatis regendæ. Multa hujus ſunt præclarè facta, ſed hæc maximè illuſtria. Olynthios & Byzantios bello ſubegit, Samum cœpit, in qva oppugnanda ſuperiori bello Athenienſes mille & ducenta talenta coaſumpſerant. Id ille ſine ulla publica impenſa populo reſtituit. Adverſum Cotym bella geſſit: ab eo mille & ducenta talenta prædæ in publicum detulit. Cyzicum obſidione liberavit. Ariobarzani ſimul cum Ageſilao auxilio profectus eſt: à qvo cùm Laco pecuniam numeratam accepiſſet, ille cives ſuos agro atqve urbibus augeri maluit, qvam id ſumere, cujus partem domum ſuam ferre poſſet. Itaqve accepit Erichthonem & Seſtum. Idem claſſi præfectus circumvehens Peloponneſum, Laconicam populatus, claſſem eorum fugavit. Corcyram ſub imperium Athenienſium redigit.

redegit: sociosqve idem adjunxit Epirotas, Athamanas, Chaonas, omnesq; eas gentes, qvæ mare illud adjacent. Qvo facto Lacedæmonii de diutina contentione destiterunt, & sua sponte Athenienſibus imperii maritimi principatum conceſſerunt, pacemqve his legibus conſtituerunt, ut Athenienſes mari duces eſſent. Qvæ victoria tantæ fuit Atticis lætitiæ; ut tum primùm aræ Paci publicè ſint factæ, eiqve deæ pulvinar ſit inſtitutum. Cujus laudis ut memoria maneret, Timotheo publicè ſtatuam in foro poſuerunt. qvi honos huic uni ante hoc tempus contigit: ut, cùm patri populus ſtatuam poſuiſſet, filio qvoqve daret. Sic juxta poſita recens filii, veterem patris renovavit memoriam. Hic cum eſſet magno natu, & magiſtratus gerere deſiiſſet, bello Athenienſes undiqve premi ſunt cœpti. Defecerat Samus, deſcierat Helleſpontus: Philippus jam tunc valens Macedo multa moliebatur: cujus oppoſitus Chares cùm eſſet, non ſatis in eo præſidii putabatur. Fit Meneſtheus prætor, filius

Iphicratis, gener Timothei, & ut ad bellum proficiscatur, decernitur. Huic in consilium dantur duo usu & sapientia præstantes, qvorum consilio uteretur, pater & socer, qvòd in his tanta erat auctoritas, ut magna spes esset, per eos, amissa posse recuperari. Hi cùm Samum profecti essent, & eôdem Chares adventu eorum cognito cum suis copiis proficiscereturne qvid absente se gestum videretur: accidit cùm ad insulam appropinqvarent, ut magna tempestas oriretur: qvam evitare duo veteres imperatores utile arbitrati, suam classem suppresserunt. At ille temeraria usus ratione non cessit majorum natu auctoritati: &, ut in sua manu esset Fortuna, qvò contenderat, pervenit: eodemqve ut seqverentur, ad Timotheum & Iphicratem nuncium misit. hinc malè re gesta, compluribus amissis navibus, eodem, unde erat profectus, se recepit, literasqve Athenas publicè misit, sibi proclive fuisse Samum capere, nisi à Timotheo & Iphicrate desertus esset. Ob eam rem in crimen vocabantur. populus

pulus acer, suspicax, mobilis, adversarius, invidus etiam potentiæ, domum revocat: accusantur proditionis. Hoc judicio damnatur Timotheus, lisq; ejus æstimatur centum talentis. Ille odio ingratæ civitatis coactus, Chalcidem se contulit. Hujus post mortem populus, cùm eum judicii sui pœniteret, multæ novem partes detraxit, & decem talenta Cononem ejus filium, ad muri qvandam partem reficiendam jussit dare, in qvo Fortunæ varietas est animadversa. Nam qvos avus Conon muros ex hostium præda patriæ restituerat, eosdem nepos, cum summa ignominia familiæ, ex sua re familiari reficere coactus est. T. Timothei autem moderatæ, sapientisqve vitæ, cùm pleraqve possimus proferre testimonia, uno erimus contenti, qvod ex eo facilè conjici poterit, qvàm charus suis fuerit. Cum Athenis adolescentulus causam diceret, non solùm amici, privatiqve hospites ad eum defendendum convenerunt, sed etiam in eis Jason tyrannus, qvi illo tempore fuit omnium potentissimus. Hic

eum in patria sine satellitibus se tutum non arbitraretur, Athenas sine ullo præsidio venit: tantiqve hospitem fecit, ut mallet se capitis periculum adire, qvàm Timotheo de fama dimicanti deesse. Hunc adversus tamen Timotheus postea populi jussu bellum gessit, patriæ sanctiora jura, qvàm hospitii, esse duxit. Hæc extrema fuit ætas imperatorum Athenienſium, Iphicratis, Chabriæ, Timothei: neqve post illorum obitum qviſqvam dux in illa urbe fuit dignus memoriâ.

Timotheus.

OLynthios & Byzantios. *Principes olim Urbes Thraciæ fuerunt: Byzantium ad Bosphorum Thracium Urbs sita à Constantino M. aucta dictaq; Constantinopolis, à Turcis Stambol, expugnata & Christianis erepta à Mahomete Sultano A. C. 1453. & Olynthus antiqva & nobilis à Philippo Rege Mac. excisa. Just. l. 8.*

Adversus Cotyn. *Hujus nominis Regem Thraciæ Historici memorant ad iracundiam fuisse propensiorem, ideoq; cùm amicus*

amicus quidam ei vasa fragilia quidem, at scitè curioseq3 cælata, dono obtulisset, ea gratus accepit & illicò fregit, demirantibus cæteris, fregi, inquit, ne esset occasio irascendi his, qui erant fracturi.

Domum suam ferre. *Egregii Ducis exemplum, qui rem publicam, quàm suam augere maluit, cùm plerique hodiè Ducum quicquid possunt, ad se rapiant trahantq3, deq3 suis farciendis loculis unicè soliciti, bella pacemq3 vendant, Amicis æquè atq3 hostibus graves. De Romanis Horat. od. 15. l. 2. Carm.*

Privatus illis census erat brevis,
Commune magnum.

Hinc Curius Samnitum, Fabricius Pyrrhi munera contemsit. Supra de Aristide Noster: cum tantis rebus præfuisset, in tanta paupertate decessit ut, qui efferretur, vix reliqverit & infrà in Agesilao: cùm maxima ei munera à Regibus, Dynastis & Civitatibus conferrentur, nihil unqvam in domum suam contulit: Ita paternæ æmulus Virtutis fuit Timotheus, nam & Conon quinquaginta talenta pecuniæ quæ à Rege acceperat, civibus suis donavit. N. in Conon.

Tum

Tum primùm Aræ Paci. *Gentiles coluere 1. Divos, qvi Dii semper habiti sunt: ut Jupiter, Mars &c. 2. Eos, quos merita in cœlum vocaverant, ut Herculem, Castorem &c. illi Majorum, hi Minorum gentium Dii vocabantur. 3. Illa propter qvæ homini datur adscensus in cœlum, ut Mentem, Virtutem, Pietatem. Vid. Cic. l. 2. de Leg. Hucreferes Pacem, cui Vespasianus Templum dicavit magnificentissimum. Conf. Comp. Antiq. Rom. Etiam Pavor, Pallor, Febris sua Romæ Templa habebant: alios enim Deos, ut prodessent, colebant, alios ne nocerent, placabant. Pulvinar lectus erat in Templo alicui Numini dicatus. Re sc. bene gesta in ipsis Templis lecti Diis, præsertim Jovi, Junoni, Minervæ, tanqvam epulaturis sternebantur, quod erat Lectisternium & sellis positis ad epulas solenniter invitabantur, quas certi Viri, Epulones dicti, absumebant Vid. Antiq.*

Magistratus gerere desiisset. *Cùm ætas ferat omnia, animum qvoq; ut loqvitur Pastor Ecl. 9. ætate graves, ut emeriti & rude jam donati, Magistratus gerere desinebant,*

sinebant, & hi à Romanis vocabantur Senes depontani: nam juxta proverbium Sexagenarii de ponte dejiciebantur i.e. ferendi jus suffragii, quod Romani per pontes in Ovile transeuntes ferebant, adimebatur his, qui sexagesimum annum excesserant, & Plato l. 6. de Leg. non admittit ad Magistratum, Legum custodem, nec minorem annis quinquaginta, nec majorem septuaginta. Plutarchus autem in Libello, cui titulus: an Seni sit Resp. administranda, ut & Cic. in Cat. Maj. Senes à Reipubl. negotiis minimè removendos esse ostendunt. Ut enim novitii Citharœdi multas Citharas corrumpunt, ita juvenes Gubernatores evertunt Resp. ait Xenophon. Neq; inepta olim fuit Lex Nautica, qua nemo ad gubernacula admittebatur, nisi qui diu ad remos sedisset. Rectè Pompejus à Lucullo reprehensus quod jam senior honores ambiret & Magistratus, magis, ait, intempestivum est luxuriare senem, quàm gubernare Rempublicam.

Oppositus Chares. *Cùm de Charete Duce constituendo, qui corporis robore præstabat, ageretur, Timotheus adjiciebat:*

non

non per Deos, sed talis sit, qvi stragula Imperatori gestaturus est; Imperator verò tàm qvæ ante ipsum, qvàm qvæ à tergo sunt, prospiciat, Plut. in Libello, an Seni sit administ. Resp. Non tàm corporis à Duce robur, qvàm animi vigor & Prudentia exigitur.

In consilium dentur duo. *Cùm temerè in acie versari & manu cum hoste confligere, immane qviddam & belluarum simile sit (ic. 1. Off. cum ab exitu belli fausto, infausto, salus, ruina pendeat Reip. ac prudenti Duci turpe sit dicere: non putaram, juveni Duci consultore maximè opus esse videtur. Prudentia autem ante pilos non veniens, Senectutis qvasi est propria; ea adolescentulos doceat, instituat, ad omne officii munus instruat. qvo qvidem opere nihil potest esse prælarius. Cic, in Cat. Maj. Miles qvidem gregarius rectè dixerit apud Poëtam:* Λευκή με θρὶξ ἀπόμισθον ἐντεῦθεν ποιεῖ: *Albus me capillus emeritum hic facit, cùm scil. bella manus poscant haut imbelles & vires non effœtas, qvales sunt Senum: at Ducis aliæ sunt partes, eæq; tutius senili prudentiæ, qvàm juvenili committuntur temeritati:* Da-

Damnatur Timotheus. *Mobilitate sua gaudens fortuna, tandem Timotheum destituit & rectè factorum ipse commune tulit præmium: Exilium. Plut. in Sylla refert æmulos res ipsius prosperè gestas Fortunæ, quam rerum humanarum Dominam dicit Cicero pro M. Marc. tribuisse ac proinde in tabula ipsum pinxisse in litore dormientem & fortunam veti Urbes captas & implicatas attrahentem, idq; Timotheum ægrè tulisse ac palàm dixisse: οὐδὲν τῇ τύχῃ μέτεσι, nihil horum, quæ egi, fortuna sibi vendicare potest, atq; ex eo tempore, irata quasi fortuna, omnes bonas felicitates ei fuisse adversas. Et quidem, quicquid bonæ prosperæq; rei cuiquam obtingit, non divinæ gratiæ, à qua sola pendet mortalium felicitas, sed viribus suis suisq; consiliis attribuere, nimis superbum est. Epicurus olim negavit, referente Cic. 2. de divin. Deum quicquam vel alieni curare, vel sui, sed hæc ἀθέων est opinio, ab ipsis sanioribus ethnicis damnata.*

Chalcidem se contulit. *Generosa mens nullo scelere gravius læditur, quàm ingrati animi crimine. Ita Scipio Nasica*

suffra-

suffragio Senatus vir optimus judicatus, propter iniquissimam Virtutum suarum apud cives æstimationem, sub titulo Legationis liberæ Pergamum secessit &, quod vitæ superfuit, ibi sine ullo ingratæ patriæ desiderio peregit. Val. Max. l. 5. c. 3. Chalcis Euboeæ est Civitas, in quam sublato ab Atheniensibus Socrate, innocentissimo viro, secessit Aristoteles, inquiens: nolo Atheniensesbis in Philosophiam peccare.

Sine satellitibus se tutum. *Multos timeat necesse est, quem multi timent, ideoq; tyrannus, cum metui, quàm diligi malit, in metu semper & periculo est, nunquam securus, nusquam opinione sua tutus, nisi longo stipatus satellitio firmoq; cinctus præsidio; unde in Tyrannis fuere, qui arci, tanquam perpetuo carceri se includerunt, neque in publicum ausi sunt prodire, nisi armatis undiquaq; viris septi. Jasonem verò Thessaliæ tyrannum, ut ita dicam, superis Deorum invisum & imis, neglecto tàm præsenti periculo tuendi Timothei causa, nullo lateribus præsidio tectis, Athenas venisse atq; ita hospitii jura charioraha buisse, quàm cum Regno vitam, novum & insolens meritò factum*

ctum censetur. Non ita Vibius, qui Ciceronem Amicum veterem, Clodiana vi patria ejectum, tecto arcuit & Verginius, Prætor Siciliæ arctissima eidem familiaritate conjunctus, per literas exulem monuit, ut Sicilia abstineret. O infida pectora! vid. Plut. in vit. Cic.

Patriæ sanctiora jura. *Hospitii jus sanctissimum dicit Cic. 2. Verr. Hospitem violare, aut sub cultro linqvere omnium penè gentium suffragio nefas est habitum: unde cum Pacuvius qvidam, Campani nominis Princeps, Hannibalem hospitio accepisset & filius Romanis gratificaturus super cœnam Pœnum hospitem interficere cogitaret, Patris precibus lacrymisq; victus, proposito abstinuit & hospitalem Patris fidem pluris, qvàm hostis acerrimi cædem fecit. At nulla hospitii vel amicitiæ jura patriæ charitatem vincant aut extinguant, ea propter Brutus Pater filium necare, qvàm in perniciem servare maluit, & Themistocles veneno sumto voluntariam potius mortem subiit, qvàm adversus patriam, eamq; impiè ingratam, infesta arma caperet.*

Axio-

Axiomata.

1. *Paternas æquare laudes pulchrum, superare pulcherrimum est. Ita Stehnelus ait Agamemnoni l. 4. Iliad.*

Ἡμεῖς τοι πατέρων μέγ' ἀμείνονες εὐχόμεθ' εἶναι,

Nos Patribus multò meliores gloriamur esse.

Ita Horat. od. 15. l. 1. Carm. de Diomede Tydides melior Patre.

2. *Boni Principis est non suis, sed publicis servire commodis, gloria ille famaq; contentus manubias opesq; ad ærarium referat, exemplo Pauli Macedonici, qui Perse victo, eousq; opibus hostium hæreditariam Urbis nostræ, inquit Val. Max. l. 4. c. 3. paupertatem satiavit, ut pop. Rom. tum primùm tributa civibus remitteret, præclarè secum actum existimans, quod ex illa victoria alii pecuniam, ipse gloriam occupâsset.*

3. *Nimis periculosum est suo omnia arbitrio gerere, præsertim in bello, in quo bis peccare non licet.* Εἷς ἀνὴρ οὐ πάντ' ὁρᾷ, *unus vir non omnia videt ideóq;*

m

in consilium adhibendi viri prudentes, maximè senes: nam consilia senum, hastas esse juvenum verè dixit Plutarchus.

4 *Plerumq; plaustrum qui perculit, culpam in innocentem transferre satagit, & calumnia, vel innocentissimis aliquid allinit vitii. At qui gestant, quiq; auscultant crimina, meo arbitratu si liceat, omnes pendeant, gestores linguis, auditores auribus, ait Calipho in Pseud. Plauti Act. 1. Sc. 5.*

6. *Amicus & hospes in periculo non deserendus, sed defendendus, qui secus faxit, gravem Deum ultorem sentiet, quem ζένιον dixit Antiquitas, Cic. 1. Off. Qui non defendit socium, nec obsistit, si potest, injuriæ, tàm est in vitio, quàm si Parentes deserat.*

Timotheus.

TImotheus *verè magni Patris æmula proles,*
Bellicâ re floruit.
Hostibus is victis patriam locupletat opimâ
Præda & agro, & urbibus

Nec

Nec spoliis farcit loculos, tamen invida mulctat
Immerentem Civitas.
Chalcide, quod reliquum est vitæ, exigit usque perosus
Civitatem perditam.
Ultimus ipse Ducum, tellus quos Attica fovit,
Musa quos cœlo beat.

DATAMES.

VEnio nunc ad fortissimum virum, maximiqve consilii, omnium barbarorum, exceptis duobus Carthaginensibus, Hamilcare, & Annibale. de qvo hoc plura referemus, qvòd & obscuriora sunt ejus gesta pleraqve: & ea, qvæ prosperè ei cesserunt, non magnitudine copiarum, sed consilii, qvo tantùm non omnes superabat, acciderunt: qvorum nisi ratio explicata fuerit, res apparere non poterunt. Datames patre Camissare, natione Care, matre Scythissa natus, primùm militum numero fuit apud Artaxerxem eorum, qvi regiam tuebantur, pater ejus Camissares, qvòd

qvòd & manu fortis, & bello ſtrenuus, & regi multis locis fidelis erat repertus, habuit provinciam partem Ciliciæ juxta Cappadociam, qvā incolunt Leucoſyri. Datames militare munus fungens primū qvalis eſſet, apparuit in bello, qvod rex adverſus Caduſios geſſit. namq; hîc multis millibus hoſtium & regiorum nō paucis interfectis, magni fuit ejus opera, qvo factum eſt, ut cùm in bello cecidiſſet Cămiſſares, paterna ei traderetur provincia. Pari ſe virtute poſtea præbuit, cùm Autophradates juſſu regis bello proſeqveretur eos, qvi defecerant. namqve ejus opera hoſtes, cùm caſtra jam intraſſent, profligati ſunt, exercitusqve reliqvus conſervatus eſt. qva ex re majoribus rebus præeſſe cœpit. Erat eo tempore Thyus Dynaſtes Paphlagoniæ, antiqvo genere natus à Pylæmene illo, qvem Homerus Troico bello à Patroclo interfectum ait. Is regis dicto audiens non erat, qvam ob cauſam bello eum perſeqvi conſtituit, eiqve reī præfecit Datamen propinqvum Paphlagonis, namqve ex fratre & ſorore erant

nati, qvam ob causam Datames omnia primum experiri voluit, ut sine armis propinqvum ad officium reduceret. Ad qvem cùm venisset sine præsidio, qvod ab amico nullas vereretur insidias, pene interiit. nam Thyus eum clàm interficere voluit. Erat mater cum Datame amita Paphlagonis. ea, qvid ageretur, resciit, filiumqve monuit. Ille fuga periculum evitavit, bellumq; indixit Thyo, in qvo cum ab Ariobarzane præfecto Lydiæ & Ioniæ, totiusqve Phrygiæ desertus esset, nihilo segnius perseveravit, vivumqve Thyum cepit cum uxore & liberis: cujus facti, ne prius fama ad regem, qvàm ipse perveniret, dedit operam. Itaqve omnibus insciis, eò ubi erat rex, venit, posteroqve die Thyum, hominem maximi corporis, terribiliq; facie, qvòd & niger & capillo longo, barbaqve erat prolixa, optima veste contexit, qvam satrapæ regii gerere consveverant, ornavit etiam torqve, atqve armillis aureis, cæteroqve regio cultu: ipse agresti, dupliciqve amiculo circumdatus, hirtaqve tunica, gerens in capite

capite galeam venatoriam, dextra manu clavam, sinistra copulam, qva vinctum ante se Thyum agebat, ut si feram bestiam captam duceret. Qvem cùm omnes prospicerent propter novitatem ornatus, ignotamq; formam, ob eamque rem magnus esset concursus: fuit nemo, qvi agnosceret Thyum, qvi non regi nunciaret. Ac primò non credidit. Itaqve Pharnabazum misit exploratum. à qvo ut rem gestam comperit, statim admitti jussit, magnoperè delectatus cùm facto, tum ornatu: Inprimis qvòd nobilis rex in potestatem inopinanti venerat. Itaqve magnificè Datamem donatum ad exercitum misit, qvi tum contrahebatur duce Pharnabazo, & Tithrauste ad bellum Ægyptium, pariqve eum, atqve illos, imperio esse jussit. Postea verò qvàm Pharnabazum rex revocavit, illi summa imperii tradita est. Hic cùm maximo studio compararet exercitum, Ægyptumqve proficisci pararet: subitò à rege literæ sunt ei missæ, ut Aspim aggrederetur, qvi Cataoniam tenebat, qvæ gens jacet supra Ci-

liciam, confinis Cappadociæ. namqve Aſpis ſaltuoſam regionem, caſtellisqve munitam incolens, non ſolùm imperio regis non parebat, ſed etiam finitimas regiones vexabat, & qvæ regi portarentur, abripiebat. Datames, etſi longè aberat ab his regionibus, & à majore re abſtrahebatur, tamen regis voluntati morem gerendum putavit. Itaqve cum paucis, ſed viris fortibus, navem conſcendit, exiſtimans, id qvod accidit, faciliùs ſe imprudentem, & imparatum parva manu oppreſſurum, qvàm paratum, qvamvis magno exercitu. Hac delatus in Ciliciam, egreſſus inde, dies noctesqve iter faciens, Taurum tranſiit, eoqve qvò ſtuduerat, venit: qværit qvibus locis ſit Aſpis: cognoſcit haud longè abeſſe, profectumqve eum venatum: qvem dum ſpeculatur, adventus ejus cauſa cognoſcitur. Piſidas cum iis, qvos ſecum habebat, ad reſiſtendum Aſpis comparat: Id Datames ubi audivit, arma capit, ſuos ſeqvi jubet, ipſe eqvo concitato ad hoſtem vehitur, qvem procul Aſpis conſpiciens ad ſe ferenren-

rentem pertimescit, atqve à conatu resistendi deterritus, sese dedit. Hunc Datames vinctum ad regem ducendum tradit Mithridati. Hæc dum geruntur Artaxerxes reminiscens à qvanto bello, ad qvam parvam rem principem ducum misisset, seipsum reprehendit, & nuncium ad exercitum Acæum misit, qvòd nondum Datamem profectum putabat, qvi ei diceret, ne ab exercitu discederet. Hic priusqvam perveniret, qvò erat profectus, in itinere convenit, qvi Aspim ducebant. Qva celeritate cùm magnam benevolentiam regis Datames consecutus esset, non minorem invidiam aulicorum excepit, qvòd illum unum pluris, qvàm se omnes fieri videbant. qvò facto cuncti ad eum opprimendum consenserunt. Hæc Pandates, gazæ custos regiæ, amicus Datami, perscripta ei mittit, in qvibus docet, eum magno fore in periculo, si qvid illo imperante in Ægypto adversi accidisset. namqve eam esse consvetudinem regum, ut casus adversos hominibus tribuant, secundos fortunæ suæ.

qvo facilè fieri, ut impellantur ad eorum perniciem, qvorum ductu res malè gestæ nuncientur. illum hoc majore fore in discrimine, qvòd qvibus rex maximè obediat, eos habeat inimicissimos. Talibus ille litteris cognitis cùm jam ad exercitum Acen veniisset, qvòd non ignorabat, ea verè scripta: desciscere à rege constituit. neqve tamen qvicqvam fecit, qvod fidei sua esset indignum. nam Androclem Magnetem exercitui præfecit: ipse cum suis in Cappadociam discedit, conjunctamqve huic Paphlagoniam occupat, celans qva voluntate esset in regem. clàm cum Ariobarzane facit amicitiam, manum comparat, urbes munitas suis tuendas tradit. Sed hæc propter hyemale tempus minus prosperè succedebant. Audit Pisidas qvasdam copias adversus se parare, filium eò Arsidæum cum exercitu mittit. cadit in prælio adolescens. proficiscitur eò pater non ita cum magna manu, celans qvantum vulnus accepisset, qvòd prius ad hostem pervenire cupiebat, qvàm de ma-

lè

lè re gesta fama ad suos perveniret: ne cognita filii morte animi debilitarentur militum. Qvò contenderat, pervenit, iisqve locis castra ponit, ut neqve circumiri multitudine adversariorum posset, neqve impediri, qvò minus ipse ad dimicandum manum haberet expeditam. Erat cum eo Mithrobarzanes socer ejus, præfectus eqvitum, is desperatis generi rebus ad hostes transfugit. Id Datames ut audivit, sensit, si in turbam exisset, ab homine tam necessario se esse relictum, futurum, ut cæteri consilium, seqverentur, in vulgus edit, suo jussu Mithrobarzanem profectum pro perfuga, qvò facilius receptus hosteis suos interficeret, qvare relinqvi eum non par esse, sed omneis confestim seqvi. qvod si animo strenuo feciissent, futurum, ut adversarii non possent resistere, cum intra vallum, & foris cæderentur. Hac re probata exercitum eduxit, Mithrobarzanem perseqvitur, qvi dum ad hostes pervenerat, Datames signa inferri jubet. Pisidæ nova re commoti, in opinionem

adducuntur, perfugas mala fide compositoqve feciſſe, ut recepti eſſent majori calamitati, primùm eos adoriuntur. Illi cùm qvid ageretur, aut qvare fieret, ignorarent, coacti ſunt cum eis pugnare, ad qvos tranſierant, ab hisq; ſtare, qvos reliqverant, qvibus cùm neutri parcerent, celeriter ſunt conciſi. Reliqvos Piſidas reſiſtentes Datames invadit: primo impetu pellit, fugientes perſeqvitur, multos interficit, caſtra hoſtium capit. Tali conſilio uno tempore & proditores perculit, & hoſtes profligavit: & qvod ad tuam perniciem fuerat cogitatum, id ad ſalutem convertit. Qvo neqve acutius ullius imperatoris cogitatum, neqve celerius factum uſqve legimus. Ab hoc tamen viro, Siſymas maximus natu filius, deſciit, & ad regem tranſiit, & de defectione patris detulit. qvo nuncio Artaxerxes commotus, qvod intelligebat ſibi cum viro forti ac ſtrenuo negotium eſſe, qvi, qvod cogitaſſet, facere auderet, & prius cogitare, qvàm conari conſveſſet, Autophradatem in

Cappa-

Cappadociam mittit. Hic ne intrare posset saltum, in qvo Ciliciæ portæ sunt sitæ, Datames præoccupare studuit. sed tam subitò copias contrahere non potuit. à qva re depulsus cum ea manu, qvam contraxerat, locum delegit talem, ut neqve circumiretur ab hostibus, neqve præteriret adversarius, qvin ancipitibus locis premeretur, & si dimicare cũ eo vellet, non multum obesse multitudo hostium suæ paucitati posset. Hæc etsi Authophradates videbat, satius tamen statuit congredi, qvàm cum tantis copiis refugere, aut tàm diù uno loco sedere. Habebat barbarorum eqvitum viginti, peditum centum millia, qvos illi Gardates appellant, ejusdemqve generis III. funditorum, Præterea Cappadocum IIX. Armeniorum X. Paphlagonum V. Phrygum X. Lydorum V. Aspendiorum & Pisidarum circiter III. Cilicum II. Captianorum totidem: ex Græcia conductorum III. millia: levis armaturæ maximum numerum. Has adversus copias spes omnis consistebat Datamis in se,

lociqve natura. Namqve hujus partem non habebat viceſimam militum. Qvibus fretus conflixit, adverſariorum qve multa millia concîdit, cùm de ipſius exercitu non amplius hominum mille cecidiſſet, qvam ob cauſam poſtero die trophæum poſuit, qvo loco pridiè pugnatum. Hinc cum caſtra moviſſet, ut inferior copiis, ita ſuperior omnibus prœliis diſcedebat, qvòd nunqvam manum conſereret, niſi adverſarios locorum anguſtiis clauſiſſet. qvod perito regionum, callideqve cogitanti ſæpè accidebat. Autophradates, cùm bellum duci majore regis calamitate, qvàm adverſariorum, videret, ad pacem, atqve amicitiam hortatus eſt, ut cum rege in gratiam rediret. Qvam ille etſi non fidam fore putabat, tamen conditionem accepit, ſeqve ad Artaxerxem legatos miſſurum dixit. Sic bellum, qvod rex adverſus Datamem ſuſceperat, ſedatum. Autophradates in Phrygiam ſe recepit. At rex, qvòd implacabile odium in Datamen ſuſceperat, poſtqvàm bello eum opprimi non

non posse animadvertit, insidiis interficere studuit, qvas ille pleras q; vitavit sicut cùm nunciatum esset, qvosdam sibi insidiari, qvi in amicorum erant numero: de qvibus, qvòd inimici detulerant, neqve credendum, neqve negligendum putavit. experiri voluit verum, falsumnè sibi esset relatum, Itaqve eò profectus est, in qvo itinere futuras insidias illi dixerant. Sed elegit corpus staturâ similllimum sui, eiq; vestitum suum dedit, atqve eo loco ire, qvo ipse consveverat, jussit. Ipse autem ornatus vestitu militari inter corporis custodes iter facere cœpit. At insidiatores, postqvam in eum locum agmen pervenit, decepti ordine, atqve vestitu, in eum faciunt impetum, qvi suppositus erat. Prædixerat autem his Datames, cum qvibus iter faciebat, ut parati essent facere, qvod ipsum vidissent. Ipse, ut concurrentes insidiatores animadvertit, tela in eos conjecit. hoc idem cùm universi feciissent, priusqvam pervenirent ad eum, qvem aggredi volebant, confixi ceciderunt. Hic

tamen tam callidus vir extremo tempore captus est, Mithridatis Ariobarzanis filii dolo. namqve is pollicitus est regi, se eum interfecturum, si ei rex promitteret, ut, qvodcunqve vellet, liceret impune facere: fidemqve de ea re, more Persarum, dextra dedisset. Hanc ut accepit, simulat se suscepisse cum rege inimicitias: copias parat, & absens amicitiam cum Datame facit, regis provinciam vexat, castella expugnat, magnas prædas agit: qvarum partem suis dispertit, partem ad Datamen mittit, pari modo complura castella ei tradit. Hæc diu faciendo persvasit homini, se infinitum adversus regem suscepisse bellum, cum nihilo magis, ne qvam suspicionem illi præberet insidiarum, neqve colloqvium ejus petivit, neqve in conspectum venire studuit. Sic absens amicitiam gerebat, ut non beneficiis mutuis, sed odio communi qvod erga regem susceperant, contineri viderentur. Id cùm satis se confirmasse arbitratus est, certiorem facit Datamen, tempus esse majores exer-

exercitus parari, & bellum cum rege suscipi, de qva re, si ei videretur, qvò vellet in colloqvium veniret. Probata re, colloqvendi tempus sumitur, locusqve, qvo conveniretur. Huc Mithridates cum uno, cui maximam habebat fidem, ante aliqvot dies venit, compluribusq; locis separatim gladios obruit, eaqve loca diligenter notat, ipso autem colloqvendi die utriqve locum, qvi explorarent, atqve ipsos scrutarentur, mittunt. Deinde ipsi sunt congressi. Hic cùm aliqvandiu in colloqvio fuissent, & diversi discessissent, jamqve procul Datames abesset, Mithridates priusqvàm ad suos perveniret, ne qvam suspicionem pareret, in eundem locum revertitur, atqve ibi, ubi telum erat impositum, resedit, ut si à lassitudine cuperet acqviescere, Datamemqve revocavit, simulans se qviddam in colloqvio esse oblitum: interim telum, qvod latebat, protulit, nudatumqve vagina veste texit, ac Datami venienti ait; digredientem se animadvertisse locum qvendam, qvi erat in conspectu,

ad castra ponenda esse idoneum, quem cùm digito monstraret, & ille conspiceret, aversum ferro transfixit: priusque quàm quisquam posset succurrere, interfecit. Ita ille vir, qui multos consilio, neminem perfidia ceperat, simulatacaptus est amicitia.

Datames.

NAtione Care, Matre Scythissa. *Cares Asiæ min. populi adeò erant armorum pugnæq; cupidi, ut vili pretio conducti, aliena bella gererent, unde quævis bellica arma dicta Carica & Cares in prima acie collocari consueverunt, ut primos hostium impetus, qui esse solent acerrimi, exciperent, levi, si caderent, jactura: hinc natum proverbium, cujus etiam supra facta mentio, In Care periculum facito i.e. in re tali, quam si perdas, minimum damni feras: aliàs cum Care carizare dicuntur, qui Romæ Romano more vivunt, & eâdem, quâ captantur arte, captant alios. Vid. Diogeniani Adagia cent. 7. n. 65. Scythicæ gentis ea fuit barbaries, ut Scythicum appellatum sit quidvis agreste sævumq; & σκυ-*

θρω-

Δεινὸς, homo tristis ac truculentus. Bello certè Scytharum gens invicta extitit, id quod Cyrus & Darius ingenti suo sunt malo experti, bellandi itaq; studium cum paterno hic sanguine ac lacte materno propagatum est: neq; enim feroces progenerant aquilæ columbam. Horat. od. 4. l. 4. Carm.

Aperuit bello. i.e. declaravit ac manifestum fecit Datames in eo bello, neq; animum imperterritum, neq; manus strenuas ad res gerendas arduas deesse sibi, solis ac pulveris patienti. Multi Rhodios jactant saltus & longius à periculo remoti, cum Pyrgopolynice Plautino, Act. 1. Sc. 1. Mil. glor. totas legiones difflant Spiritu, quasi ventus folia; cùm verò thrasonica dicta in rem conferenda sunt, bellatores illi gloriosi pedibus talaria nectunt, ad fugam, quàm pugnam promtiores. Aliter fecit Datames. Caduſii fuere accolæ æstuis Caspii & Cyri fluvii, Reguli & Toparchæ, qui vel Civitati, vel certo Regionis tractui præsunt, Dynastæ vocantur à potentia, δύναμαι, possum. Iidem nobis sunt Proceres, Barones, Comites, Persis Satrapæ, alibi dicuntur Despotæ, nonnullis Megistanes. Numerus plur. usitatior singulari.

A Patroclo. *Intimè ille amicus fuit Achilli, qvem idem amâsse se ait*

ἶσον ἑῇ κεφαλῇ καὶ ἴσον φαέεσσιν ἑοῖσι,

Tanqvam caput suum oculosq́ suos.

Eundem curru armisq́ instructum, Græcis in prælio laborantibus, subsidio misit, in qva pugna hostium qvàm plurimis occisis, & ipse ab Hectore cæsus, & ab Achille magnificè sepultus est, qva de re vid. ult. Liber, Iliados. In Persona Nepotem errâsse, cum à Menelao Pylæmenem occisum esse referat Homerus, Viri docti jampridem annotarunt.

Sine armis propinqvum. *Cum nulla de morte hominis longa sit cunctatio, Mars ille* βροτολοιγὸς, *Homerico verbo, non temerè lacessendus, aut arma movenda, maximè in hominem propinqvo consangvinitatis gradu conjunctum: arctissima enim est colligatio, societas propinqvorum Cic. 1. Off. cumq́ sævis inter se ursis conveniat & parcat cognatis maculis similis fera Juv. Sat. 15. neq́ in propinqvos qvisqvam crudelior, in sua qvasi viscera sæviat. Huc pertinet illud Comici: omnia prius verbis, qvàm armis Sapientem experiri decet,*

Cun-

Cuncta prius tentanda &c.

Barbaq; erat prolixa. *Eadem aliàs promissa. Lacon quidam interrogatus, cur barbam nimis longam aleret, respondit; ut canos intuens, nihil his indignum committam. Primam barbam Juvenal. Sat. 8. lanuginem illam dicit primùm natam in Adolescentibus:*

Quædam cum prima resecentur crimina barba.

Olim Viris decora visa barbæ prolixitas, Polyphemus apud Nasonem:

Barba viros hirtæq; decent in corpore setæ:

inprimis Philosophis, unde Socrates à Poëta dicitur barbatus Magister. Apud Gell. l. 9. c. 2. cùm quidam palliatus & barbâ propè ad pubem usq; porrectâ, æs petens ad panes emendos, Herodem Atticum convenisset, quæsivit is, quisnam esset, ille verò vultu objurgatorio Philosophum se esse dixit ac mirari, cur quærendum putârit, quod videret; tùm ille, barbam, inquit, & pallium video, Philosophum non video, neq; illepidum est, quod de Phocione refert Plutarchus, cùm in concione Archibiades, egregiè barbatum.

batus, consuluisset, quæ populo grata essent, licet justitiæ ac veritati adversa, apprehensa ejus barba Phocion; quin, inquit, ô Archibiades, raderis, reprehendens in eo, quod barba habituq; oris virum bonum mentiretur; hodiè Magnatibus πωγωνοτροφία displicet, cùm olim ignominiosa non tantùm fuerit barbæ detonsio, sed etiam pro pœna noxiis irrogata.

Nobilis Rex. *Genere, quàm Virtute nobilior. Nobilitas triplex: Sanguinis, Virtutis, Sanguinis simul & Virtutis. Non paucos sanguine nobiles omnibus infames vitiis reperias. A Ciceronе ep. 7. l. 3. ad Famil. distingvitur inter ἐξοχὴν & εὐγένειαν, illa virtute, hæc sanguine nititur.*

Regiones vexabat. *Spoliabat ac vastabat Gell. l. 2. c. 6. qui fertur & raptatur & huc atq; illuc distrahitur, vexari propriè dicitur. Virgil. Ecl. 6. Scyllam dicit Dulichias vexasse rates, cùm aliquot Ulyssis socios lacerârit. Cic. pro Mil. de Clodio, eum, ait, statuisse in Prætura omni scelere vexare Rempub. & infra Miltiades Regis dicitur provinciam vexasse, ut hodiè Turca vexat Hungariam.*

Morem

Morem gerendum putavit. *Æquum atq; iniqvum Regis imperium feras, Sen. in Med.* cùm capitale sit non paruisse, certè apud Romanos: nam cùm Q. Fabius, Magister Equitum, adversus edictum Papirii Dictatoris exercitum in aciem eduxisset, licet hoste fuso victor revertisset, Dictator tamen virgas expediri eumq; nudari jussit, neq; lictorum manus evasisset, nisi & Patris lacrymis & universi populi precibus vitam à severissimo dictatore redemisset, ita Manlius Filium, qvod injussu suo provocatus cum hoste pugnasset, licet felicissimè, necari jussit, *Val. Max. l. 2. c. 7.*

Imparatum parva manu. *Majores res parva gestas esse manu, qvàm numerosissimis copiis Historia docent. Simo A. 2. Sc 6. Andr.* Hic si me imparatum adortus esset, qvos ludos redderet. *Non imparatum pectus ærumnis gero i. e.* assuevi malis. *Theseus in Sen. Hipp.* Contrà paratus dicitur instructus viribus opibusq; ad aliqvid agendum. *Cic. pro Mil.* Clodius ad omne facinus homo paratissimus. Hinc apud Romanos, milites Dux prælium initurus, hac formula, compellabat: An para-

parati? Reclamabant omnes alacri voce: parati.

Nuntium ad exercitum Acen misit. *Nuntius 1. qui nunciat. 2. res nunciata. Sunt, qvi putant neutro tantùm genere id, qvod nunciatur, significari. sed hi Classicorum Scriptorum auctoritate facilè refutantur. Nuntium neutrum, etsi planè illatinum haut esse videtur, minus tamen usitatum ac freqvens; qvi verò Fundus mase. pro possessione rustica, Fundum neutrum pro imo cujusq; rei usurpari contendunt, falluntur. Vid. Faber Buchneri. Ace oppidum Syriæ.*

Invidiam Aulicorum. *Qvò non livor adit? Ovid. 3. Fast. & idem alibi: Livor summa petit. Ut vitia semper patronos, ita Virtutes æmulos reperiunt; præsertim in Aulis ea pestis regnum possidet, ubi unusqvisq; sibi qvemqvam vel gratia, vel gloria anteire ægerrimè fert, unde non paucos, qvos ad summa sua Virtus erexerat, ad ima detrusit invidia.*

Gazæ custos. *Qvi præerat Gazophylacio sive Fisco. Fiscus erat Principis, Ærarium Populi, unde Præfectus ærarii, qvi h. l. custos.*

custos. Arabum & Persarum Gazæ immensæ fuerunt Horat. od. 29. l. 1. Icci, beatis nunc Arabum invides gazis & od 9. l. 3. Persarum vigui Rege beatior.

Rex maximè obediat. Vilissima quandoq; mancipia magnis imperant Regibus, eosq; quocunq; libet, impellunt. Ita Alexander M. à Thaide aliisq; scortis castrensibus impulsus urbem Regiam Persepolim, totius Orientis pulcherrimam, vini plenus, incendit. Curt. l. 5. Idem Bagóæ spadonis turpissimi, instinctu Orsinen Satrapam, qui nobilitate & divitiis inter omnes barbaros eminebat, in vincula tradi jussit & ultimo affici supplicio, qui cùm spado manus morituro injiceret, audieram, inquit, in Asia olim regnâsse fœminas, hoc verò novum est regnare castratum. Id. l. 10. Talis fuit Narcissus ille de quo Juven. Sat. 14.

Indulsit Cæsar cui Claudius omnia. Galba Imp. à tribus T. Vinio, Cornelio Lacone & liberto suo Icelo profligatæ nequitiæ, ut puer, regebatur, qui ob id vulgò dicebantur Principis Pædagogi. Suet. in Galba. Pulchrè Martialis:

Qui

Qui Rex est, Regem, Maxime, non habeat.

Propter hyemale tempus *Rebus ruri & militiæ agendis inepta hyems, ignava colono. Virgil. l. 1, Georg. & militi, unde Cic. pro Rabir. hyeme omnia bella jure gentium conquiescunt, ac proinde omnibus seculis mos fuit in hybernis collocare militem. Noster in Ages. Exercitum Ephesum hyematum reduxit, etiam mare veteres hyberno tempore clausum appellabant.*

Cadit adolescens. *Imprudentia procul dubio aut temeritate, quæ propria quasi sunt Adolescentum vitia, hanc sibi pestem attraxit Arsidæus, ita cum Cyrus Scythiam invasisset & per dolum castra epulis vinoq; referta vacua reliquisset, Tomyris Regina fatuum adolescentulum cum parte copiarum ad insequendum mittit, qui rei militaris ignarus omissis hostibus, vino se cum suis onerat, &, ebrietate antè, quàm bello victus, cæditur, Just. l. 1. siquid itaq; rectè curatum velis, cave puero id mandes vel mente vel ætate: sunt enim & παιδες ἑκατονταετεῖς, centum annorum pueri i. e. senes puerili sententia, uti contrà quandoq; in*

in Adolescentibus senilis elucet Prudentia, talis Scipio, ad qvem admodùm adolescentulum, qvi superfuerant militibus Romanis, Cannensi clade ad ultimam redactis desperationem, imperii militaris summa delata est, & qvidem successu haut infelici. Liv. Dec. 3. l. 2. c. 53.

In turbam exîsset. *i. e. multitudini innotuisset. Noster in Hannib. de pecunia, qvam portabat, sciebat exîsse famam. Formidolosi perfidiam fugamq; Soceri gregarium rectè militem celat Datames, ne pessimo exemplo levis turba corrupta, anxia trepidâq; de fuga magis, qvàm pugna cogitet. De Tulla Hostilio Rege Rom. refert Livius l. 1. dec. 1. cùm Romani inito cum Albanis fœdere bellum cum Fidenatibus gererent, & Albanorum Dux Metius Suffetius ad hostium partes inclinaret, ne metus suis incuteretur, Rex primùm Pallori & Pavori fana vovit, deinpalàm proclamavit Metium id suo egisse imperio; parta verò victoria eundem qvadrigis alligatum discerpi & Albam dirui jussit. Germani, dextras transfugis amputabant. Thurii muliebri indutos veste in vincula conjiciebant.*

Com-

Compositoq; feciſſe. *Idem eſt, quod Plaut. Capt. Act. 1. Sc. 1. ait: omnes compacto rem agunt, nos dicimus:* Es iſt ein angelegter Karn. *Act. 1. Sc. 5. Pſeud. de compacto faciunt, conſutis dolis.*

Ad ſalutem convertat. *Ita Ter. A. 4. Sc. 1. Andr. an putas, quia primò proceſſit parùm, non poſſe ad ſalutem converti hoc malum. Quadrat huc illud Demeæ Act. 4. Sc. 7. Adelph. Ita vita eſt hominum, quaſi cùm ludas teſſeris, ſi illud, quod maximè opus eſt jactu, non cadit, id, quod cecidit fortè, arte ut corrigas. Egregiè correxit Datames & à ſuis depulſam cervicibus, in hoſtes vertit perniciem prudenti conſilio.*

Siſymas maximus natu filius. *Iisdem hunc verbis non injuria appellaveris, quibus Cæſar Brutum parricidam:* καὶ σὺ ἐκεῖνον, καὶ σὺ τέκνον, *& tu in illis & tu filius. Suet. in Cæſ. Fortaſſe regnandi cæca libido* φρενῶν *omnem extinxit, ſicut & Tullia, Tullii filia, uxor Tarquinii Superbi, occiſo ab hoc Patre, carpento vecta, marito gratulatura Imperium, ſuper interfectum Patrem conſternatos egit equos. Fl.*

l. 1. c. 7. atq; ita regnum avitum rapere maluit, qvam expectare. Scilicet Ratio Status, ut noſtræ ætatis Politicus magni nominis dixiſſe fertur, non agnoſcit Patrem, aut Matrem, Fratrem aut Sororem, ſed hi tales ſibi caveant, ne & ipſi à ſupremo hujus Univerſi Judice gravem olim audiant ſententiam: non novi vos.

Ciliciæ portæ. Anguſtas montium fauces aditusq; intelligo, quos Pylas aliàs vocant Grajo nomine. Curt. l. 3. perpetuo jugo montis aſperi ac prærupti Cilicia includitur, per qvod dorſum aſperi tres aditus & peranguſti ſunt. Alexander M. hunc locorum ſitum contemplatus, confeſſus eſt vel ſaxis obrui ſe potuiſſe, ſi fuiſſent, qvi ſubeuntes propellerent. Ejusmodi anguſtiæ fuere Thermopylæ, qvibus occupatis Leonida Xerxem cum omnibus copiis aliqvamdiu detinuit.

Uno loco ſedere. Omnis properanti mora nimium longa eſt: ut autem ſæpè nocuit differre paratis, ita qvandoq; habent parvæ commoda magna moræ. Prudens Fabii cunctatio, ut profuit Reip. Romanæ, ita nocuit Pompeji ad pugnandum à Cæſa-

M re

re lacessiti odiosa tergiversatio, qua ardens militum alacritas consenescebat. Milites inquit Florus l.4. c.2. otium, Socii moram, Principes ambitum Ducis increpabant. Alioqui sedere dicuntur, qui otiosi & incurioſi alicubi commorantur, tanquam Spectatores fabulæ. Varro ille temerarius Consul apud Liv. Dec 3. l.2. stultitia, inquit, est credere hostem sedendo aut votis debellari posse. Vid. Adag. Romanus sedendo vincit.

Levis armaturæ. Romano more locutus est: nam armatura Levis Velitum erat, eorumq; arma gladius, hasta, parma, galea. Gravis: scutum, gladius, pilum, galea, lorica, ocrea, quibus instructi armis erant Hastati. Principes, Triarii. Aptè hodiè adversarium minus ob impotentiam formidabilem, levis armaturæ militem dicimus.

Qvos illi Cardaces. Κάρδαξ miles mercenarius & barbarus. Persæ κάρδακα vocabant πάντα τὸν ἀνδρεῖον καὶ κλῶπα, hominem animosum & furem. Budæus in Lex. Gr.

Locorum anguſtiis. Hæ periculosæ, maximè

maximè multitudini, quæ spatiosos campos desiderat, hinc Parmenio, intimus Alexandri consiliis, hostem numero superiorem, in angustis locis expectandum esse censet, & planiciem camposq; vitandos, ubi circuiri possent. Curt. l. 3. Xerxes angusto mari conflixit & victus est. Supra in Themist. Ita cùm Legiones Romanæ imprudentia Ducum in angustias montium, quas vocant Furculas Caudinas, perductæ essent, à Pontio, Samnitum Duce, cum extremo dedecore sub jugum missæ sunt. Liv. Dec. 1. l. 9.

Implacabile odium. *Ut plumea Regum gratia est, ita ira plumbea,*

θυμὸς γὰρ μέγας ἐστὶ διοτρεφέος βασιλῆος.

Ira enim magna est à Jove nutriti Regis, Hom. l. 2. Iliad. odium tale græci vocant ἄπονδον. Cùm amicitia, dicente Ciceronе, debeat esse immortalis, mortalis inimicitia, plerumq; id invertitur & amicitia est mortalis & vitro fragilior, inimicitia immortalis & quovis adamante durior.

Insidiis interficiendum. *Quod vinequit, fraude assequi Rex tentat. Multo*

generosior Alexander M. qui cum Dario congressurus, Parmenione censente, furto, non prælio opus esse, intempestâ hostem nocte opprimi posse, id facere recusat, inquiens: non furor victoriam, latrunculorum & furum unicum votum est fallere. Curt. l. 4. & Plut. de Fort. Al. Ita Fabricius Pyrrhum, acerrimum Romanorum hostem, à Medico, operam ipsi suam offerente, necari noluit.

Ornatus vestitu militari. Gregarii militis aut stipatoris habitu sumto insidiatores fefellit Datames: vestitu enim à milite Dux dignosci facilè poterat. Imperator Rom. ad bellum proficiscens ex Urbe, exibat Paludatus. Paludamentum erat chlamys Imperatoria, auro & cœco distincta. Darius prælio victus, cùm fugit, ne cognoscatur, Imperii insignia indecorè abjecit Curt. l. 3. Licet interdum magni Duces ea ornamenta neglexerint. Noster de Ages. Humili & obsoleto vestitu contentus fuit. De Alexandro Curt. l. 3. cultus ejus habitusq; paululum à privato abhorrens.

More Persarum dextra. Hæc omnium pœne

pœne gentium consensu fidei symbolum ac pignus fuit. Notum illud Poëtæ: En dextra fidesq́! Darius Alexandro fidei regiæ pignus dextram ferri jubet Curt. l. 5. c. 13. sub fin. & qvidem fides dextrâ datâ apud Persas omni juramento sanctior habebatur, & Germani veteres pro nefando scelere habuere fidem, data dextra firmatam, fallere. Apud Virgil. 6. Æn. graves in tartaro pœnas luunt, qvi Dominorum fefellere dexteras i. e. fidem Dominis stipulata manu promissam. Unde mos fluxit in primo congressu, testandæ fidei ergo & amicitiæ, copulare dexteras. Conf. Camer. cent. 1. subcis. c. 35.

Et eos scrutarentur. Personata Potentum felicitas vel eo est nomine, quod nusqvam & nunqvam ab insidiis tuti, vigiles trahunt noctes diesq́ agunt sollicitos, unde congressuri & collocuturi Reges ac Principes, per delectos Amicos loca comitesq́ perscrutari atq́ excutere solent. Alexander Pheræus, Thessaliæ Tyrannus, ad Theben uxorem non venit, nisi præmissis stipatoribus, qvi perscrutarentur arculas muliebres, &, ne qvod in vestimentis telum

lum occultaretur, exquirerent, Cic. 2. *Off. Idem de Dionysio l. 5. Tusc. quæst. sic nocte ad uxores ventitabat, ut omnia specularetur ante & perscrutaretur. Sarpedon Pædagogus Catonem puerum ad Syllam non, nisi excussum, adduxit, veritus, ne odio crudelitatis, vultu ac verbis proditio, Tyrannum interficeret. Val. Max. l 3. c. 1.*

Telum, qvod latebat. *Telum qvodvis Missile, vel qvod ab arcu mittitur à* τηλε, *procul, ut volunt, dictum propriè id, qvo hostem eminus petimus, hoc tamen loco & gladius telum dicitur ideoq; teli nomine apud Classicos Scriptores qvidvis denotari videtur, qvo hosti nocetur. Arma propriè sunt, qvibus tegimur, vel ab armis sic dicta, qvibus applicantur, vel ab arcendo, vel à gr.* ἄρμενα, *apta, quod apta sint tegendo corpori. Ita galea, lorica, clypeus arma, non tela fuere, & hæc abjicere probrosum militi. Vid. Ausf. Popma de Diff. Verb.*

Axio-

Axiomata.

1. *Vi & armis magnæres geruntur, majores consilio, sine quo cæca vis est, & in suam ipsius perniciem cæco ruit impetu.*

2. *Formæ mores persæpe sunt consimiles & ex ipso ore oculisq; eminet crudelitas, Exemplo potest esse Thyus terribili homo facie, genere, quàm virtute nobilior, Talis fuit ille Germanorum, (rectiùs Gallorum) Dux corpore, armis, Spiritu & ipso nomine terribilis Vercingentorix, qui victus à Cæsare, phaleras & arma ante genua ejus projecit, inquiens: habes, fortem virum, vir fortissime, vicisti. Flor. l. 3. c. 10.*

3. *Regis jubere est, ministri jussa capessere, utq; morigeris constituta sunt præmia, ita pœnæ imperia recusantibus. Arist. 4. Polit.* οὐκ ἔστιν εὖ ἀρχθῆναι μὴ ἀρχθέντα, *non licet benè imperare eum, qui imperio non paruit. Infrà laudatur Agesilaus, quod multò glorioſius duxerit, si institutis patriæ paruisset, quàm si bello superasset Asiam.*

4. *Ea est consuetudo Regum, ut casus adversos hominibus tribuant, secundos fortunæ suæ, Val. Max. l. 2. c. 7. de Carthaginiensibus: Quod benè gesserant Duces, Deorum immortalium adjutorio, quod malè commiserant, ipsorum culpæ imputabant. Ita Sultanus Turcicus, insignem bello cladem passus, plerumq; Duces capite plectit innoxios,*

5. *Breves & infausti sunt Principum amores. Tac. l. 2. Datames id expertus.*

6. Οἱ αὐτῷ κακὰ τύχει ἀνὴρ ἄλλῳ κακὰ τεύχων.
Sibi ipsi mala struit vir, alteri mala struens.
Hes. l. 1. Op. Mithrobarzanes id malo suo didicit.

7. *Et prospera sua & adversa celare prudentis est. Prospera, ne invidiam sibi conflet, adversa, ne iniquis lætitiam pariat. Euclemon apud Curt. l. 5. Optimè miserias ferunt, qui abscondunt.*

8. *Nemo tàm est providus & circumspec-*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn778716805/phys_0288
DFG

ctus, qui simulata non capiatur amicitia. Datames regiis invictus opibus, victus est Amici dolosi fraudibus. Quàm feliciter in acie ille occidisset; potius hostis præda, quàm Amici victima. Ovidius:

Tuta frequensq; via est, per Amici fallere nomen,
Tuta frequensq; licet sit via, crimen habet.

Datames.

DAtames bellax, rigidoq; Marte
Natus & Conso facili, feroces
Consili virtute manuq; forti
Contudit hostes.
Nobilis bello tulit Artaxerxis
Gratiam miles, simul arte captum,
Horridum cultu facieq; Thyum
Compede vinxit,
Asperumq; Aspim subito latronem
Impetu oppressit trepidumq; cepit:
Invida hæc laudis merito tropæa
Invidet Aula.

Hinc timens Regis dubios favores
Atq; declinans laqveos Iniqvùm
Deficit, seq; & sua vi tuetur
Consilioq;
Cætera invictum malè Mithridatis
Ficta frons fallit simulans Amicum:
Hostis incautum necat atq; ferro
Pectora rumpit.

EPAMINONDAS.

EPAMINONDAS Polymni filius, Thebanus, de hoc priusqvam scribamus, hæc præcipienda videntur lectoribus, ne alienos mores ad suos referant, néve ea, qvæ ipsis leviora sunt, pari modo apud cæteros fuisse arbitrentur. Scimus enim musicen nostris moribus abesse à Principis persona; saltare etiam in vitiis poni, qvæ omnia apud Græcos & grata & laude digna ducuntur. Cùm autem exprimere imaginem consvetudinis, atqve vitæ velimus Epaminondæ, nihil videmur debere prætermittere, qvod pertineat ad eam declarandam, Qvare dicemus primùm de genere ejus: deinde qvibus

bus disciplinis, & à qvibus sit eruditus: tum de moribus, ingeniiqve facultatibus, & si qva alia digna memoria erunt: postremo de rebus gestis, qvæ plurimis omnium anteponuntur virtutibus. Natus igitur patre, qvo diximus, honesto genere, pauper jam à majoribus relictus. Eruditus autem sic, ut nemo Thebanus magis, nam & citharizare, & cantare ad chordarum sonum doctus est à Dionysio: qvi non minore fuit in musicis gloria, qvàm Damon, aut Lamprus, qvorum pervulgata sunt nomina: carmina cantare tibiis, ab Olympiodoro, saltare à Calliphrone. At Philosophiæ præceptorem habuit Lysim Tarentinum, Pythagoreum: cui qvidem sic fuit deditus, ut adolescens tristem, & severum senem omnibus æqvalibus suis in familiaritate antepoſuerit, neqve prius eum à se dimiserit, qvàm doctrinis tantò anteceſſit condiscipulos, ut facilè intelligi posset, pari modo omnes in cæteris artibus superaturum. Atqve hæc ad nostram consvetudinem sunt levia, & potius con-

temnenda: at in Græcia utiqve olim magnæ laudi erant. Postqvam ephebus factus est, & palestræ dare operam cœpit: non tam magnitudini virium servivit, qvàm velocitati. illam enim ad athletarum usum, hanc ad belli existimabat utilitatem pertinere. Itaqve exercebatur plurimùm currendo & luctando, ad eum finem, qvod stans complecti posset, atqve contendere. In armis plurimum studii consumebat. Ad hanc corporis firmitatem plura etiam animi bona accesserant. erat enim modestus, prudens, gravis, temporibus sapienter utens, peritus belli, fortis manu, animo maximo: adeò veritatis diligens, ut ne joco qvidem mentiretur. Idem continens, clemens, patiensqve admirandum in modum: non solùm populi, sed etiam amicorum ferens injurias: inprimisq; commissa celans: qvod interdum non minus prodest, qvàm disertè dicere. Studiosus audiendi. Ex hoc enim facillimè disci arbitrabatur. Itaqve cum in circulum veniisset, in qvo aut de Repub.

pub. disputaretur, aut de philosophia sermo haberetur, nunqvam inde prius discessit, qvàm ad finem sermo esset deductus. Paupertatem adeò facilè perpessus est, ut de Repub. nihil præter gloriam ceperit. Amicorum in se tuendo caruit facultatibus, fide ad alios sublevandos sæpè sic usus est, ut posset judicari omnia ei cum amicis fuisse communia. Nam cùm aut civium suorum aliqvis ab hostibus fuisset captus, aut virgo amici nubilis, & propter paupertatem collocari non posset, amicorum concilium habebat, & qvantum qvisqve daret, pro cujusqve facultatibus imperabat, eamqve summam cùm faceret, priusqvàm acciperet pecuniam, adducebat eum, qvi qværebat, ad eos, qvi conferebant: eiqve ut ipsi numerarent, faciebat, ut Ille, ad qvem eares perveniebat, sciret qvibus & qvantum cuiqve deberet. Tentata autem ejus est abstinentia à Diamedonte Cyziceno, namqve is rogatu Artaxerxis Epaminondam pecunia corrumpendum susceperat. hic magno

cum pondere auri Thebas venit, & Micythum adolescentulum qvinqve talentis ad suam perduxit voluntatem: qvem tum Epaminondas plurimùm diligebat. Micythus Epaminondam convenit, & causam adventus Diomedontis ostendit. At ille Diomedonte coram, Nihil, inqvit, opus pecunia est, nam si ea rex vult, qvæ Thebanis sint utilia, gratis facere sum paratus. sin autem contraria, non habet auri atqve argenti satis. namqve orbis terrarum divitias accipere nolo pro patriæ charitate. Te, qvi me incognitum tentasti, tuiqve similem existimasti, non miror, tibi ignosco, sed egredere properè, ne alios corrumpas, cùm me non potueris. tu argentum huic redde, aut nisi id confestim facis, ego te tradam magistratui. Hunc Diomedon cùm rogaret, ut tuto exire, suaqve, qvæ attulisset, liceret efferre: istud, inqvit, faciam, neqve tua causa, sed mea: ne, si tibi sit pecunia adempta, aliqvis dicat ad me ereptum perveniſſe, qvod delatum accipere noluissem. à qvo cùm qvæsisset,

qvò

qvò se duci vellet, & ille Athenas dixisset, præsidium dedit, ut eò tutò perveniret. neqve verò id satis habuit, sed etiam ut inviolatus in navem ascenderet, per Chabriam Athenienſem curavit: de qvo suprà mentionem fecimus: abstinentiæ erit hoc satis testimonium. Plurima qvidem proferre possemus, sed modus adhibendus est: qvoniam uno hoc volumine vitas excellentium virorum complurium concludere constituimus, qvorum separatim multis milibus versuum complures scriptores ante nos explicârunt. Fuit & disertus, ut nemo Thebanus ei par esset eloqventia: neqve minus concinnus in brevitate respondendi, qvàm in perpetua oratione ornatus. Habuit obtrectatorem Meneclidem qvendam, indidem Thebis, adversarium in administranda Repub. satis exercitatum in dicendo, ut Thebanum scilicet. namq; illi genti plus ineſt virium qvàm ingenii. Is qvòd in re militari florere Epaminondam videbat, hortari solebat Thebanos, ut pacem bello anteferrent; ne illius

illius imperatoris opera desideraretur; huic ille, fallis, inqvit, verbo cives tuos, qvòd hos à bello avocas. otii enim nomine servitutem concilias. Nam paritur pax bello. Itaqve qvi ea diutina volunt frui, bello exercitati esse debent. Qvare si principes Græciæ esse vultis, castris est vobis utendum, non palæstra. Idem ille Meneclides cùm huic objiceret, qvòd liberos non haberet, neqve uxorem duxisset, maximeqve insolentiam, qvòd sibi Agamemnonis bello, gloriam videretur consecutus: at ille, desine, inqvit, Meneclide de uxore mihi exprobrare. nam nullius in ista re minus, qvàm tuo uti consilio volo. Habebat enim Meneclides suspicionem adulterii. Qvòd autem me Agamemnonem æmulari putas, falleris. namqve ille cum universa Græcia vix decem annis unam cepit urbem: ego contrà ex una urbe nostra, dieqve uno, totam Græciam, Lacedæmoniis fugatis, liberavi. Idem cùm in conventum venisset Arcadum, petens ut societatem cum Thebanis & Argivis facerent; contrà Calli-

Calliſtratus Athenienſium legatus, qvi eloqventia omnes eo præſtabat tempore, poſtularet, ut potius amicitias ſeqverentur Atticorum, & in oratione ſua multa invectus eſſet in Thebanos & Argivos, in eisqve hoc poſuiſſet, animadvertere debere Arcades, qvales utraq; civitas cives procreaſſet, ex qvibus de cæteris poſſent judicare: Argivos enim fuiſſe Oreſtem & Alcmæonem, matricidas. Thebis Oedipum natum, qvi cùm patrem ſuum interfeciſſet, ex matre liberos procreaſſe. Hic in reſpondendo Epaminondas cùm de cæteris peroraſſet, poſtqvàm ad illa duo opprobria pervenit: admirari ſe dixit ſtultitiam rhetoris Attici, qvi non animadverterit innocentes illos natos. domi ſcelere admiſſo cùm patria eſſent pulſi, receptos eſſe ab Athenienſibus. Sed maximè ejus eloqventia eluxit Spartæ, qvò cùm omnium ſociorum conveniſſent legati, coram freqventiſſimo legationum conventu, ſic Lacedæmoniorum tyrannidem coarguit, ut non minus illa ratione opes eorum concuſſerit,

rit, qvàm Leuctrica pugna. Tum enim perfecit, qvod pòst apparuit, ut auxilio sociorum Lacedæmonii privarentur. Fuisse autem patientem, suorumq; injurias ferentem civium, qvòd se patriæ irasci nefas esse duceret, hæc sunt testimonia. Cùm eum propter invidiã cives præficere exercitui noluissent: duxqve esset delectus belli imperitus, cujus errore eò esset deducta res illa militum, ut omnes de salute pertimescerent, qvòd locorum angustiis clausi ab hostibus obsidebantur: desiderari cepta est Epaminondæ diligentia. erat enim ibi privatus numero militis, à qvo cùm peterent opem, nullam adhibuit memoriam contumeliæ, & exercitum obsidione liberatum, domum reduxit incolumem. Neqve verò hoc semel fecit, sed sæpius: maximè autem fuit illustre, cùm in Peloponnesum exercitum duxisset adversus Lacedæmonios, haberetqve collegas duos, qvorum alter erat Pelopidas, vir fortis ac strenuus. hic cùm criminibus adversariorum omnes in invidiam venissent, ob

ob eamqve rem imperium his esset abrogatum, atqve in eorum locum alii Prætores succesisissent: Epaminondas plebiscito non paruit, idemqve ut faceret, persvasit collegis, & bellum, qvod susceperat, gesit. namqve animadvertebat, ubi id feciisset, totum exercitum propter Prætorum imprudentiam, inscitiamqve belli periturum. Lex erat Thebis, qvæ morte multabat, si qvis imperium diutius retinuisset, qvàm lege præfinitum foret. hanc Epaminondas cùm reipub. conservandæ causa latam videret, ad perniciem civitatis conferre noluit, & qvatuor mensibus diutius, qvàm populus jusserat, gesit imperium. Postqvàm domum reditum est, collegæ ejus hoc crimine accusabantur, qvibus ille permisit, ut omnem causam in se transferrent, suaqve opera factum contenderent, ut legi non obedirent. qva defensione illis periculo liberatis, nemo Epaminondam responsurum putabat, qvòd qvid diceret, non haberet. At ille in judicium venit: nihil eorum negavit, qvæ adversarii crimini dabant, omnia

omniaqve qvæ collegæ dixerant, confessus est, neqve recusavit, qvo minus legis pœnam subiret; sed unum ab iis petivit, ut in periculo suo conscriberent: EPAMINONDAS A THEBANIS MORTE MULTATUS EST, QVOD EOS COEGIT APUD LEUCTRA SUPERARE LACEDÆMONIOS, QVOS ANTE SE IMPERATOREM NEMO BOEOTIORUM AUSUS FUIT ASPICERE. IN ACIE QVOQVE UNO PRÆLIO NON SOLUM THEBAS AB INTERITU RETRAXIT, SED ETIAM UNIVERSAM GRÆCIAM IN LIBERTATEM VINDICAVIT, EOQVE RES UTRORUMQVE PERDUXIT, UT THEBANI SPARTAM OPPUGNARENT, LACEDÆMONII SATIS HABERENT, SI SALVI ESSE POSSENT. NEQVE PRIUS BELLARE DESTITIT, QVAM MESSENA CONSTITUTA, URBEM EORUM OBSIDIONE CLAUSIT, Hæc cùm dixisset, risus omnium cùm hilaritate coortus est: neqve

neqve qvisqvam judex ausus est ferre suffragium, Sic à judicio capitis maxima discessit gloria, Hic extremo tempore imperator apud Mantineam, cùm acie instructa audacius instaret hostibus, cognitus à Lacedæmoniis, qvòd in ejus unius pernicie, patriæ sitam putabant salutem, universi in unum impetũ fecerunt, neq; prius abscesserunt, qvàm magna cæde facta, multisqve occisis, ipsum Epaminondam pugnantem, sparo eminus percussum concidere viderunt. Hujus causa aliqvantulum retardati sunt Bœotii: neqve tamen prius pugna excesserunt, qvàm repugnantes profligarunt. At Epaminondas cùm animadverteret mortiferum se vulnus accepisse, simulqve si ferrum, qvod ex hastili in corpore remanserat, extraxisset, animam statim amissurum: usqve eò retinuit, qvoad renunciatum est, vicisse Bœotios. Id postqvam audivit, satis inqvit, vixi: invictus enim morior. Tum ferro extracto confestim exanimatus est. Hic uxorem nunquam duxit, in qvo cùm reprehenderetur à Pelopida

pida, qvi filium habebat infamem; maleqve eum in eo patriæ consulere diceret, qvòd liberos non relinqveret: vide, inqvit, ne tu pejus consulas, qvi talem ex te natum relicturus sis. neqve verò stirps mihi potest deesse. namq; ex me natam relinqvo pugnam Leuctricam, qvæ non modo mihi superstes, sed etiam immortalis sit necesse est. Qvo tempore, duce Pelopida, exules Thebas occupârunt, & præsidium Lacedæmoniorum ex arce expulerunt, Epaminondas, qvam diu facta est cædes civium, domi se retinuit, qvod neqve malos defendere volebat, neqve impugnare, ne manus suorum sangvine cruentaret. namq; omnem civilem victoriam, funestam putabat. Idemqve postqvàm ad Cadmiam pugnare cum Lacedæmoniis cœpit, in primis stetit. Hujus de virtutibus, vitaqve satis erit dictum, si hoc unum adjunxero, qvod nemo eat inficias, Thebas & ante Epaminondam natum, & post ejusdem interitum, perpetuò alieno paruisse imperio, cum eo, qvamdiu ille præfuerit Reipu.

Reipubl. caput fuisse totius Græciæ: ex qvo intelligi potest, unum hominem pluris, qvàm civitatem fuisse.

Epaminondas.

MUsicen abesse à Principis. *Sunt, qvi studium Musicum in Principe probant, sunt, qvi improbant. Certè Nero, qvantò melior fuit Musicus, tantò pejor Imperator. Solimannus Imper. Turcicus, cum Franciscus I. Galliarum Rex peritissimos ipsi in omni genere Musicæ Artifices dono misisset, ille primùm his delectatus est; ut autem sensit populum iisdem mirificè capi concentibus, veritus, ne animi feri effæminarentur, confractis omnibus Instrumentis Musicis, Artifices Gallo remisit; (causam in superstitionem rejicit Busbeq. ep. 4. de leg. Turc. p. m. 221.) & certè Philippus R. Alexandrum, cùm scitè cecinisset, objurgavit, inqviens: annon pudet te, qvod noris tàm bellè nugari. Et Spartiata qvidam, cùm lyram convivio qvispiam intulisset, subjecit: Laconicum non est nugari. Stratonicus Ptolomæo Regi de Citharistrica arte ineptè judicanti, non ineptè: alia, dixit,*

dixit, res Sceptrum, alia plectrum. Contrà aliis animi relaxandi gratia tractare fides tibiasq; haut indecorum esse principi Viro visum est, sicuti Scævola publicis fatigatus curis pila quandoq; lusit. Val. Max. l. 8. c. 8. Ita Legati Agamemnonis apud Homerum Achillem in tentorio suo offendunt canentem cithara, non autem amores fidibus committebat, sed illustria Heroum facta canebat, hinc & omnium pœne gentium mos fuit à clangore tubarum cornuumq; pugnam auspicari. Etiam Lycurgus, durissimarum Lacedæmoniis Legum auctor, Musices disciplinam approbavit, Quint. l. 1. c. 13. Certè ad affectus commovendos plurimùm facere Musicam, exemplum docet Alexandri M. quem convivantem Timotheus quidam, excellens Musicus, referente Plutarcho, modò cantus gravitate in furorem agebat, ita ut arma posceret obvium quemq; cæsurus, modò remissis fidibus, ad omnem hilaritatem invitabat. ut eadem ultro deponeret agno mitior. Confer Plut. libellum de Musica.

Natus honesto genere. *Gebhard. in Spicil. apud Latinos, ait, honesto genere*

natos

natos dici loco natos humili & mediocri. Pausanias tamen in Bœoticis Epaminondam loco, inquit, satis illustri, sed paupere esse natum. Scilicet obscurat genus inopia, dat census honores. At quid?

Menti bonæ fatale paupertas onus, ait Baud. Cent. 3. ep. 3.

Tarentinum Pythagoræum. Pythagoras Samo oriundus, tantæ Philosophus auctoritatis, ut dicta ejus propemodum pro oraculis haberentur. Ab eo Philosophi nomen traxit originem: nam cùm alii σοφοὶ & σοφισταὶ, Sapientes dicerentur, modestiæ ipse causa φιλόσοφον, studiosum sapientiæ se dixit, Auctor sectæ Italicæ, è cujus Schola tota Philosophorum examina prodierunt. Μετεμψύχωσιν sive animarum de corpore in corpus aliud transmigrationem primus introduxit, quam opinionem magna pars Indorum hodiéq; tuetur, ideóq; verita, ne Propinquorum aliquem interimat, nihil animatum, ne culicem quidem, perimit, vid. Nobilis à Mandelslo Itinerarium Editore Cl. Oleario. Queri hic solet an Principem deceant literæ? Cyclopes reperias, qui id negent, at sa-

tius est tutiusq́ suis ipsius, qvàm alienis oculis cernere, mens humana nullis exculta literis qvasi cœca est, & Princeps omnis expers Humanitatis, non tàm regere, qvàm regi videtur. Plutarchus Principes rerum omnium rudes & imperitos comparat Colossicis Statuis, qvæ foris heroica ornatæ forma, intus terra, lapidibus & plumbo oppletæ sunt. In Dissert. ad Princ. indoctum. Licet vitæ, non Scholæ discat Princeps, neq́ diu immoretur addiscendis minutiis tricisq́ vel Grammaticis, vel Logicis, sed gravioribus animum studiis occupet. Maximilianus I. Magistro suo malè precatus est, ideò qvod in cortice Dialectices nimis diu se detinuisset. Benè Æschylus:

Ὁ χρήσιμ' εἰδὼς, οὐχ ὁ πόλλ' εἰδὼς, σοφός.

Utilia sciens, non multa sciens, sapiens.

Dionysius. *Celebrem hunc fuisse Musicum è Plutarcho constat: prudentis enim est non, nisi Magistris in Arte, qvam profitentur, Rosciis informandum se committere: nam κακοῦ κόρακος κακὸν ᾠόν, mali corvi malum ovum.*

Palæ-

Palæstræ operam dare. *Palæstræ nomen est à luctâ, ἡ πάλη, luctâ, eoq; nomine quandoq; venit omnis motuum concinnitas, unde Palæstritæ, periti talium, imperiti Apalæstri dicuntur. Adolescentes olim plurimùm in literis, palæstra, Musicis exercebantur, ut docet Arist. in Polit. Fac periculum in literis, in palæstra, in Musicis, qvæ liberum æqvum est scire adolescentulum, solertem dabo. Terentius. Act. 3. Sc. 2. Eun. Optimè monet Isocr. ad Demon. γύμναζε σεαυτὸν πόνοις ἑκουσίοις, ὅπως δύναιο κὴ τὰς ἀκουσίους ὑπομένειν, exerce te ipsum laboribus spontaneis, ut possis etiam eos, quos invitus suscipis, sustinere.*

Qvàm velocitati, *Rebus agendis aptior agilitas, qvàm corporis vastitas. Obesis maximè infensus fuit Epaminondas, qvapropter militem protenso aqvaliculo, ab exercitu summovendum censuit, hac reddita ratione, qvod venter ejus vix tribus qvatuorve posset scutis tegi, etiam apud Lacedæmonios à laboriosis negotiis removebantur παχυγάστορες, ventres obesi. Sed qvid? ut fortunam, ita corpus nemo sibi fingit.*

Qvoad stans complecti. *Locus hic intellectu difficilior, torsit Interpretes, quorum alii legunt, qvoad stans i.e. donec. Alii, qvo adstans i.e. præsens, coràm. Sensum assecuti esse videntur, qvi duplicem faciunt Luctam: Erectam Stantium & Voluntatoriam Jacentium. Auctor itaq; id velle videtur: Epaminondam certamen eo usq; produxisse, qvo usq; stans & erectus adversarium complecti, constringere eiq; se parem præstare posset, cumq; eo convenisse, ut si alteruter collaberetur, luctandi ambo finem facerent: non enim ideo luctabatur, ut Athletæ laudem ferret, sed ut corpori agilitatem roburq; conciliaret. vid. Notæ Cl. Kirchmaieri.*

Ne joco qvidem mentiretur. *Vix Virtutem reliqvit ullam Nepos, qva non eluxisse dicat Epaminondam. In his Virtutibus haut postrema fuit Φιλαλήθεια, in qva parem habuit Atticum, de quo infrà: Mendacium neq; dicebat, neq; pati poterat. Ita Hor. Abbas tria singularia præstitisse dicitur, qvod 1. mentitus nunqvam sit. 2. nunqvan cuiqvam maledixerit. 3. nunqvam citra necessitatem locu-*

tus

ius. Judices Ægyptii imaginem Veritatis, è gemmis auroq; confectam, de collo pendulam gestabant, ut meminissent suarum esse partium Veritatem in judicio sectari. Mentiri est contra mentem ire, unde vera dicendo mentiri possumus, & non mentiri dicendo mendacia. Pulchrè P. Nigidius apud Gell. l. 11. c. 11. Vir bonus præstare debet, ne mentiatur, prudens, ne mendacium dicat. Mentiri servile est omniumq; odio dignum ait Plut. de Puer. Educ.

Commissa celans. *Aristoteles rem difficillimam esse censuit σιγᾶν, ἃ μὴ δεῖ λέγειν, tacere, quæ effari non oportet. ideoq; tutissimum est, neq; amicissimis credere, quæ cum periculo tuo effutiri censeas. Chremes ille Terentianus Act. 3. Sc. 3. Heaut. nemo, inquit, Amicorum meorum est, hodiè apud quem expromere omnia mea occulta audeam: Tu verò, quicquid secreti commissum tibi fuerit, id teges & vino tortus & ira, ut monet Horatius. Demosthenes in eo laudandus, cui cùm oris fœtor objiceretur: benè, inquit, dicis, quia multa hic arcana computruerunt. Non placent Amici, pleni rimarum, hac & illac perfluentes,*

entes, quibus aures non tutæ, sed rimosæ sunt.

Studiosus audiendi. *Observavit in hoc præceptum Isocratis 19. ad Demon.* καταναλίσκε τὴν ἐν τῷ βίῳ σχολὴν εἰς τὴν τῶν λόγων φιλακοΐαν *omne otium vitæ consume in studio audiendi disciplinas: nam licèt è libris etiam scientia petatur, tamen multò magis viva vox afficit Plin. l. 2. ep. 13. neq; tàm ferus quisquam est, ut mitescere non possit, si modò culturæ patientem commodet aurem Hor. l. 1. ep. 1. Eleganter Plut. de Audit. aures unicam ansam esse dicit Virtuti, qva Adolescentes arripiat.*

In Circulum venisset. *Circulus præter vulgarem significationem notat cœtum hominum in orbem collectorum, qvalis Agyrtas in foro circumsistere consvevit. Martialis:*

Scribat carmina Circulis Palæmon,
Me raris juvat auribus placere.

Vulgus sc. imperitus plerumq; iniqvus rerum arbiter est & Censor ineptus.

Paupertatem facilè perpessus. *Regem non faciunt opes, pompa, purpura, sed virtus*

tus & mens bona. Epaminondas in ea paupertate vixit, ut unam tantùm vestem haberet eamq; sordidam, quam si ad fullonem misisset, ipse domi se continere cogebatur, dum lota redderetur. Ælian. l. 5. Var. Histor. c. 5. ab ejus excessu nihil domi inventum ferunt, præter minutum veru ferreum, ideóq; publico sumtu elatus. Plut. in Fabio. Honesta paupertas non tàm ignominiosa, quàm gloriosa.

Amicorum consilium habebat. Cum, dicente Cic. 2. Off. aut opera alteri benignè fiat, aut pecunia, hac negata, opera & consilio inopes juvit Amicos Epaminondas. Scilicet Amicos Promissores reperias, qui auri montes Amico florenti pollicentur, egentem plumbeo nummo non adjuvant. Omnium autem optimè de Amico meretur, qui servitutis eum catenis sumtu suo liberat, aut filiam ejus illocabilem ob inopiam dote donat, quo honestè collocari queat & quidem Epaminondam Amicitiæ conciliandæ studiosum fuisse, inde patet, quod Pelopidæ, referente Æl. lib. 14. c. 38. aliquando dixit, se quotidiè è foro antè non discedere, quàm novum Amicum ad veteres adjecisset.

Abstinentiam tentavit. *Rara hæc ideoq; præclara in Viro Principe Virtus, ea Romæ dum viguit, Romana res stetit ac floruit. Curio foco assidenti & rapas torrenti Samnites ingens auri pondus offerebant, ille ridens sua jubebat munera Legatos recipere, inquiens: locupletibus imperare se malle, quàm ipsum fieri locupletem. Val. Max. l. 1. c. 3. Ita neq; Epaminondæ, pauperrimi licèt, abstinentia ullo auri argentiq; pondere expugnari potuit; hodiè verò non paucos reperias M. Cœli similes, de quo M. Cato, frustò, inquit, panis conduci potest, vel uti taceat, vel uti loquatur Gell. l. 1. c. 15. & Demosthenis, qui, cum Harpalum sceleratum hominem pridiè oppugnasset, altero die acceptis ab eo muneribus tacuit, causatus anginam se pati, passus, ut vulgò dictum est, argentanginam. Noster animo philosopho opes aspernatus, nobilem paupertatem antetulit infami opulentiæ. Stobæus rem ita narrat, eum scil. Legatos ferentes munera ad prandium invitasse appositaq; mensa vili vinoq; acido Legatos jussisse hæc Regi suo narrare & adjecisse, his se contentum, non facilè ad*

pre-

proditionem ullis allici posse muneribus. Idem ab aliis etiam accipi munera iniquo tulit animo, hinc cum resciviſſet militem scutatum, ingentem pecuniarum vim à captivo quodam accepiſſe, redde, inquit, mihi clypeum, tibi verò cauponam eme, in qua vitam degas: posthac enim noles eod. modo subire pericula, jam ditior factus: timidus enim Plutus est, quod dicitur. Plut. in Apophthegm. Ita & infrà Phocion Philippi R. munera magno animo contemnit.

Erit hoc satis testimonium. Contra Lambinum, legentem satis testimonii, lectionem hanc defendit Gebhardus, exemplis ex solutæ & ligatæ Orationis Scriptoribus allatis, quem vide. Quod Ciceroni est: satis temporis ad dicendum, Veteres dixere, satis tempus ad dicendum. Auctor ad Herenn. Vix satis otium studio suppeditare possumus.

Fuit disertus. Dicendi peritus, non eloquens: nam Eloquentiæ nomine Prisci omnes propemodum scientias & Artes, libero dignas, complexi sunt, hinc Cic. 1. de Orat. nemo poterit esse omni laude cumulatus Orator, nisi erit rerum magnarum &

Artium scientiam consecutus, unde ibidem ait vix singulis ætatibus singulos tolerabiles Oratores inventos esse. In Oratore M. Antonius, clarissimus Orator, ait Disertos se vidisse multos, Eloqventem verò neminem. Quid autem jucundius & magis proprium humanitatis, qvàm sermo facetus, ac nulla in re rudis? Hoc enim uno præstamus vel maximè feris, quod colloqvi inter nos & exprimere dicendo sensa possumus. Id. 1. de Orat. Neq; tàm orationis spectanda prolixitas, quàm concinnitas, Homerus de Menelao:

Παῦρα μὲν, ἀλλὰ μάλα λιγέως, ἐπεὶ οὐ πολύμυθος.

Pauca qvidem, at valde argutè, qvia non verbosus.

Cùm Ajax & Ulysses in concione de armis Achillis contenderunt, cessit robur facundiæ. Ovid. l. 13. Met. f. 1.

— — — — *qvid facundia posset*
Tum patuit, fortisq; Viri tulit arma disertus.

Ita Pisistratus & Pericles dicendo id assecuti sunt, ut imperio potiti, liberis Athenarum

rum cervicibus jugum servitutis imponerent. Val. Max. l. 6. c. 9.

Habuit obtrectatorem. Optimis ille maximisq; Viris nunquam defuit. Quos non adversarios & obtrectatores laudum suarum habuit Cicero, Patriæ ille Pater dictus à Roma libera? Catilinam & Clodium taceo, qui apertè restiterunt rem gerenti publicam, etiam Appium, Hortensium, Pompejum aliosq; clarissimos Viros ejus novitati invidisse, & altius evolanti obstitisse, palàm est. Ita Homero non defuit Zoilus, Hesiodo Cecrops, Maroni & Flacco olentes Mævii & Bavii.

Plus virium, quàm ingenii. Bœotis Attici & edacitatem & stupiditatem objicere sunt soliti, ut, qui exercendis magis corporibus, quàm excolendis ingeniis studerent, sicq; Epaminondam, Pindarum, Plutarchum, quorum jam pridem nomina immortalitati Fama sacravit, excipias, pauca fuere Bœotica ingenia Sapientiæ laude illustria, id quod cum alimento, tum aëri crasso nonnulli adscribunt: nam ut scribit Cic. l. 1. de Nat. Deorum. Licet videre acutiora ingenia eorum, qui terras inco-

lunt eas, in qvibus aer sit purus ac tenuis, qvàm illorum, qui crasso utuntur cœlo. Plaga cœli non ad robur corporum tantùm, sed etiam animorum plurimùm valet. Veget l. 1. c. 2. Inter Scritofinnos & Lappiones nihil certè Attici salis repereris. Vid. Scrut. Ingeniorum Huarti.

Otii nomine. Qvanqvam otii nomen dulce est, otium Divos rogat bello furiosa Thrace, otium Medi pharetra decori, Horat. od. 16. l. 2. Carm. cavendum tamen, ne otium nobis sectantibus servitutis catenæ injiciantur, qvibus constringi multò pejus est & acerbius, qvàm bellis implicari, imò necari. Paci semper est consulendum, sed ei, qvæ nihil habitura sit insidiarum, Cic. 1. Off. Talis fuisse videtur hic Menecl. des, qvalis Drances apud Virgil. lib. XI. Æn. cui plurima fandi copia erat, tunc, cum bella manus poscerent.

Me Agamemnonem æmulari. Cum Pastor ille perfidus, Paris hospitam abduxisset Helenam Horat. od. 15. l. 1. Carm. eam conjurata Græcia, raptum ultura multo repetiit milite & Agamemnonem, Mycenarum Regem, Ducem mille navium consti-

constituit, quem & Regem Regum Cicero appellitat. Ita decennali obsidione, qua utrinq; infinita hominum multitudo periit, expugnata Troja soloq; æquata, documento fuit, quàm fragili loco starent superbi, ut loquitur Sen. in Troad. Majorem Epaminondas gloriam meritus est ipso Agamemnone, qui gloriæ suæ partem maximam Homero debet, quem Præconem Virtutis suæ nactus est. Scilicet Lingua potentium Vatum divitibus consecrat Insulis. Horat. od. 8. l. 4. Carm.

Multa invectus est. Oratio alia Invectiva est in opprobrium, alia Panegyrica in laudem publicè dicta scriptaq;: ut autem honestius, ita tutius est laudare, quàm vituperare, ἀρχὴ φιλίας ἔπαινος, ἔχθρας δὲ ψόγος, initium amicitiæ laus, inimicitiæ verò vituperium Isocr. ad Demon. Certò Demosthenes & Cicero in Philippum & Antonium sua non impunè vibrarunt fulmina, utrumq; enim

Largus & exundans letho dedit ingenii fons.

Juv. Sat. 10. inprimis tutum non est, ut ille ait, in eos scribere, qui possunt proscribere.

Oreſtem & Alcmæonem. *Oreſtes filius fuit Agamemnonis, qui matrem Clytæmneſtram, quæ ab Ægyſtho adultero corrupta, Patrem è bello decennali domum redeuntem nefariè interfecerat, occidit, hinc ſtimulis conſcientiæ aut furiis agitatus, cum Pylade ſuo, admirandæ fidei comite, totum eſt orbem peruagatus. Alcmæon itidem Eriphylen matrem, quæ aureo monili à Polynice accepto, Amphiaraum Conjugem, Alcmæonis Patrem, qui oraculo cognoverat in Bello Thebano ſe periturum eſſe, latentem prodiderat, interemit Virg. 6. Æn.*

— — — *mœſtamq; Eriphylen,*
Crudelis nati monſtrantem vulnera, vidit.

Oedipus, Thebarum Rex, Laji filius, Patris juſſu expoſitus, at clam educatus, & Patrem occidit & Matrem Jocaſtam uxorem duxit inſcius, ex qua ſuſcepit Eteoclem & Polynicen. Re patefacta ortaq; de Regno contentione mutuis Filii vulneribus occubuerunt, Jocaſta mortem ſibi conſcivit. Oedipus oculos ipſe ſibi effodit & Athenas abut exulatum. Vid. Oedi-

pus

pus & Thebais Senecæ, it. Oreſtes Euripidis.

Non minus illa Oratione. *Cùm Sparta, fortuna dulci ebria, principatum univerſæ affectaret Græciæ, & Ageſilao Rege impotens quidvis ſperaret, cæteris potentiæ tantæ cedentibus ac tacentibus, unus Epaminondas id effari audebat, qvod in rem eſſet, non Boœtiæ tantùm, ſed totius etiam Græciæ, paris libertatis defenſor acerrimus, atq; ea ratione animos ſociorum à Spartanis avertebat. Tanta vis Eloquentiæ, Eloqventis viri verba fulmina, verba Sapientum, ait Eccleſ. c. 12. ſimilia clavis & aculeis. Cicero Catilinam patriæ ſuæ peſtem molientem, telis Orationis ſuæ Urbe ejecit victumq; dicendo, vincendum armis Collegæ tradidit Antonio Fl. l. 4. c. 1.*

Injurias ferentem Civium. *Injurias ferre facile eſt, perferre grave, inquit Seneca. Noſter eas & tulit & pertulit, omnemque contumeliam Patriæ condonandam, non vindicandam putavit. Ita cum cives irati contumeliæ cauſſa ſternendarum in oppido viarum curam ei mandarent (qvod apud ipſos miniſterium erat ſordidiſſimum)*

dissimum) sine ulla cunctatione id recepit, daturumq; se operam, ut brevi speciosissimum foret, asseveravit. Val. Max. l. 3. c. 7. Ita Aristides exilio mulctatus ob famam justitiæ, Xerxe totis Græciam viribus oppugnante, Patriam, qva re cunq; potuit, adjuvare non cessavit Plut. in Aristid. & Phocion cicutam jamjam bibiturus ab Amico quodam interrogatus, num quid Filio suo Phoco renunciari vellet, maximè, inquit, ut scilicet hujus injuriæ ab Athenienſibus mihi illatæ, maturè obliviscatur. Id. in Phoc. Aliter animatus fuit Marcius Coriolanus, qui patriâ pulsus ad Volscos, hostes Romanorum transiit eorumq; Dux factus, Urbem infestis armis oppugnavit, nec nisi lacrymis precibusq; Veturiæ matris & Volumniæ uxoris placari potuit. Liv. l. 2. Dec. 1.

Alter erat Pelopidas. (collega hic fuit Epaminondæ amicissimus, neq; qvicqvam magis admiratos esse Viros prudentes scribit Plut. in Pelop. quàm in tantis Imperiis & Magistratibus utrumq; mutuam tàm sanctè coluisse amicitiam, ita ut nulla honorum contentio, invidia nulla aut simultas

tas eam interruperit, nulla etiam studiorum ac fortunarum dissimilitudo minuerit: Pelopidas enim erat in re ampla constitutus, Epaminondas pauperrimus. Ille in matrimonio vivebat splendido, Hic vitam agebat cœlibem. Multùm ille temporis in palæstra & venatione, Hic in Scholis Philosophicis consumebat; utrosq; verò pari studio patriæ suæ illustrandæ inflammato, alter alterius opera ad hanc rem utebatur, ut propria, cumq; Pelopidas Legatus ad Alexandrum Pheræum, Tyrannum Thessaliæ teterrimum, missus, ab eodem in vincula esset conjectus, Epaminondas cum copiis eò missus non, nisi recepto Pelopida, reduxit exercitum, qvo exemplo Collegis commendatur concordia.

Plebiscito non paruit. Cum populi salute nihil prius & antiqvius esse debeat bono Civi, plebi haut paruisse laudi est, si vel invidia cæca, vel inscitia nocitura sibi imperet. Mobilis enim populus est & affectuum vento agitatus, facilè ad noxia & iniqva decreta impellitur, qvæ ipsa meliora edoctus deinde damnat reumq; re prosperè gesta facillimè absolvit. Sic Fabium

bium scimus impetus insultusq; Hannibalis mora fregisse, neq; curasse judicium plebis, timiditatem ejus & segnitiem arguentis, ipse satius ait esse ab hoste sapiente metui, quàm à stulto cive laudari, unde quem paullò antè populus contemsit, sanior divinis in cœlum extulit laudibus. Cicero verè in Orat. pro Planc. non est consilium in vulgo, non ratio. Et animosè Scipio Nasica obstrepente aliquando plebe: Tacete, quæso, Quirites, inquit, plus enim ego, quàm vos, quid reip. expediat, intelligo, qua voce autoritatis plena motus omnes turbasq; composuit. Val. Max. l. 3. c. 7.

In periculo suo conscriberent. Locus admodum dubius conjectore Oedipo aut Delio natatore, quod ajunt, opus habere videtur, hinc alii legunt in sepulchro, alii in peristylio, alii in cippulo, Kirchmaierus in titulo. Gebhardus autem vulgari lectione retenta hunc locum ita exponit: Epaminondas à Judicibus petiit, ut, si pœnam sibi irrogandam putarent, in Actis aut tabulis publicis, in quibus periculum suum ad memoriam posteritatis procul dubio essent nota-

notaturi, damnationis causam eâq3, quæ subjungeret, unà perscriberent: Tanta vis & παῤῥησία bonæ conscientiæ. Par fuit in pari discrimine Scipionis Afric. fiducia. Diem huic Nævius Trib. pl. dixerat, ille verò rostra conscendit & capiti corona triumphali imposita, hac, inquit, die, Quirites, Carthaginem vici, proinde æquum est vos mecum ire in Capitolium Diis supplicatum, consurrexit Senatus cum Equestri Ordine & cuncta plebe præeuntem secuturus; Tribunus ipse desertus, devitandi ruboris ergo, cum cæteris in Capitolium processit, déq3 accusatore Scipionis venerator factus est. Val. Max. l. 3. c. 7.

Apud Leuctra superare. Leuctra hic intellige oppidum Bœotiæ, non oppidulum Laconiæ litori appositum. Circa hæc Leuctra insignem Spartiatæ calamitatem, quam & Cicero 1. Offic. plagam pestiferam appellat, non temere passi sunt: nam cum Legati ipsorum eo loco Scedasi filias, Molpiam & Hippo, vi stuprassent, ibidem non multò post voluntaria morte defunctas & sepultas, neq3 Scedasus pœnam tanti auctoribus flagitii irrogandam impetraret, idem diris devovit

vovit Spartanos & super tumulo Filiarum semet Pater confodit, hinc oraculo moniti sunt Lacedæmonij, ut Leuctricam devitarent ultionem, at vocis decepti ambiguitate in eam incidere cladem, qva spe propemodum cum re amissa decus Imperij perdidere. Plut. in Pelop. Sunt, qvi Cleombroti Ducis temeritati hanc plagam adscribunt & qvidem consilia calida & audacia prima specie læta sunt, tractatu dura, eventu tristia, Livius dec. 4. l. 5,

Messena constituta. Regio & Urbs clarissima Messena, qvam vicina Sparta (πῆμα κακὸς γείτων, ingens malum malus vicinus Hes. 1. Op.) oppressam, civibus exactis, novis incolis habitandam concessit, at Epaminondas Victor his pulsis, veteribus colonis & Civitatem & Libertatem restituit, ita, qvod ait Poëta:

Sæpè premente Deo, fert Deus alter opem.

Ipsam etiam Spartam oppugnavit, qvam tamen & sexus & ætas imbellis in ultima rerum omnium desperatione masculè defendit.

Cum

Cum audacius instaret. *Cùm à Ducis, ut Capitis, salute totius exercitus, ut Corporis, incolumitas pendeat, Epaminondas imprudenter feciſſe videtur, quod manifeſtis ſeſe periculis offerendo cadendoq; ſpem victoriæ dubiam fecit; non enim ſemper, ut ait Darius apud Curt. l. 4. effugit mortem, qvisqvis contemſerit, ſed etiam audaciſſimi qvandoq; bellatores torvo ſiunt & Marti & Morti ſpectacula, qvanqvam pugnæ fervor, animi Heroici ardor & partium ſuarum ad fugam forraſſe inclinantium trepidatio factum hoc facilè excuſant, ſicut & Alexandrum & Cæſarem in prima ſemper acie ſtetiſſe & turbatos qvandoq; Ordines animoſa ſua præſentia reſtituiſſe & partam jam victoriam vi de manibus hoſtium extorſiſſe legimus; omninò tamen ſatius eſſe cenſemus conſilio Ducem, qvàm manu rem gerere militarem, cum ipſius ruina in caſum trahat ac diſcriminis conſortium tot animarum millia. Hinc Iſraëlitæ pugnam inituri Davidem in aciem exire prohibent, cum unus ipſe ſit, ut ajunt, decem inſtar millium 2. Sam. 18, 3. & Craterus a-*

pud

pud Curt. l. 9. graviter Alexandrum pugnacissimum increpat ac monet, ut cautius agat, sibi se suisq; servet, neq; hostili furori caput tàm temerè objiciat, quapropter Scipio Afr. cùm probri loco ipsi objiceretur, quod ipse in hostem gladium non stringeret, argutè respondet: Mater me Imperatorem, non Bellatorem genuit.

Satis, inqvit, vixi. Epaminondæ obitum ita describit Just. l. 6. Primùm ex circumstantibus qvæsivit, num scutum cadenti sibi hostis ademisset, qvod ut servatum audivit, allatum velut laborum gloriæq; socium osculatus est, deinde utri vicissent, qvæsivit, ut audivit, Thebanos, benè rem habere dixit, vel, ut habet Val. l. 3. c. 2. nunc vester Epaminondas nascitur, qvia sic moritur & lætus expiravit. Qvi lethale ei vulnus inflixit, à Plut. in Ages. nominatur Anticrates, eumq; Lacedæmonios, tanto & hoste & metu liberatos, maximis ait præmiis affecisse, immunitate etiam stirpi concessa.

Uxorem non habuit. Sunt, qvi erroris hic arguunt Nepotem, cùm apud Plut. in Parall. legamus eum habuisse filium Stesim.

Stesimbrotum, quem, quod injussu suo cum hoste pugnasset, licèt victor ex pugna discessisset, securi percusserit, disciplinæ militaris custos rigidissimus, sed alij eundem ita defendunt, quod cœlibis amans vitæ, legitimam quidem uxorem non habuerit, Amicam tamen quandam, ex qua liberos susceperit. vid. Cl. Gebh. Spicil. Moriens certè apud Val. l. 3. c. 2. orbus, inquit, at non sine liberis morior, quia mirificas filias, Leuctra & Mantineam relinquo, Victorias intelligens ad hæc oppida partas, quibus nominis sui memoriam ab omni omnium seculorum oblivione felicissimè vindicavit.

Qvi talem ex te natum. *Ἄτεκνον mori præstat, quàm diem obire Filio Thersite superstite, qui Patriam damno, dedecore mulctet familiam. Quemadmodum, ut ait Epimundus Philos. apud Anton. de Guevara. l. 1. Horol. Princ. c. 44. ex equis mitibus & mansuetis equulei sæpè indomiti & calcitrosi procreantur, ita ex Parentibus Virtute præstantibus nascuntur filii malè morati & refractarii, qui ejus, quod vilius est, hæreditatem adeuntes, ejus, quod*

quod potissimum est, nempe generositatis exhæredes sunt. Indigna vero omni cura est paternoq; auxilio proles degener sine spe emendationis. Hinc Aristippus Philos. objurgatus, quod filium ex se natum abiceret negligeretq;, annon, inqvit, & pituitam & pediculos, è nobis natos, velut inutiles procul à nobis abjicimus Laërt. l. 2. Ita Alexander, cùm reprehenderetur ab uxore, quod filium inutilem abdicasset diceretq; ex eo esse, cùm expuisset in terram: Et hoc, inqvit, ex me est, at non utile.

Axiomata.

1. *Imago Ducis optimi & exemplar Virtutum pulcherrimum Epaminondas, quem cùm monstratum sibi vidisset Agesilaus, licèt hostis, diu intuitus adjecit:* ὦ μεγαλοπράγμον ἀνθρώπε, *ô magnificum virum! Plut. in Ages.*

2. *Regem maximè decet eruditio, qua sine mens cœca, hinc Bias inter alias Leges, quas Prienæis tulit, & hanc dedit: Nemo Prienensium Gubernator legitor, nisi præclarè sit literis Græcorum eruditus: nulla enim major*

est

est Reip. pestis, quàm sapientia prudentiaq; Gubernatorem destitui. Anton. de Guevar. lib. 1. Hor. Pr. c. 21. Cùm Tacitus Imperator eligeretur, Romani, referente Vopisco, acclamabant: Quis melius, quàm literatus, imperat? Illud itaq; Claudiani sibi Princeps dictum putet:

— — — — nec desinat unquam
Tecum Graja loqui, tecum Romana vetustas.

3. Musices studium Principi minus convenire videtur. Jacobus I. in Regia Instit. ad Filium: Te fidibus canere minimè decet, multò minùs mercenariis instrumentis sonare, aut artem tenere mechanicam: istis enim sedes animæ in extremis digitulis est, ut ait Salustius.

4. Tacere interdum non minus prodest, quàm disertè dicere. Σοφὸν ἔυκαιρος σιγὴ καὶ παντὸς λόγυ κρείτ]ων, Res sapiens tempestivum silentium & omni oratione præstantior, Plut. de puer. Educ. unde Pythagoras omnium

primùm Discipulis suis imperabat ἐχεμυθίαν i. e. silentium quinquennale, Inprimis arcani nihil revelandum. Hyperides Orator, ut refert Plut. in ejus Vitæ ab Antipatro captus, in tormentis ipse sibi linguam dentibus præcidit, ne arcanum aliquod Patriæ proderet. De Hispanis Just. l. 44. Sæpè tormentis pro silentio rerum creditarum immortui.

5. Aliena à Viro principe omnis δωροφαγία: nam munera Sapientes excœcant, ait Rex sapiens & navium sævos illaqueant Duces Hor. od. 16. l. 3. Carm.

6. Charitas Patriæ orbis terrarum divitiis anteponenda. Ita fecit Epaminondas diadema meritus propriamq; laurum, eò quod ingentes oculo irretorto spectavit acervos, uti loqvitur Horat. od. 2. l. 2. Carm. Alexander Severus Imp. cum juvenes quosdam contumaces eosq; consanguineos relegasset, quibusdam deprecantibus, & cùm ætatem, tum consanguinitatem commemorantibus, his, inqvit, charior mihi

mihi est tota Resp. Et quid? Platanum Xerxes amavit ornavitq; Æl. l. 2. V. Hist. c. 14. quis Patriam non diligat, quæ alumnos nos alit, educit, instruit, quam & Ulysses ille πλύτροφον immortalitati à Calypso oblatæ antepositi.

7. Paritur pax bello. Ficta pax bello aperto periculosior est.

8. Oratio Viri prudentis præclarè à Poëta dicitur flexanima & omnium Regina rerum Cic. 2. de Orat.

9. Civium tolerare injurias magna pars Virtutis est & Magnanimitatis in Rep. moderanda, ait Epaminondas apud Plut. in Pelop. & quidem, si Solon vel, ut alii volunt, Aristippus quendam in se despuentem patienter tulit &, mirantibus aliis, adjecit: piscatores unum ut capiant gobium, aqva marina se conspergi patiuntur & ego idem ferre non sustineam, ut hominem capiam, quanto magis Patriæ bono Civis quavis ferat toleretq; injurias.

10. Omnis civilis Victoria funesta, id quod

Pompejo & Cæsare armis de Imperii summa disceptantibus, non tantùm tot civium cæsorum experta sunt millia, sed ipsi etiam Duces, quorum alter in Ægypto carnifici ferro cervices subjicere coactus est, alter in ipsa Curia multis confossus vulneribus non sicca morte ad generum Cereris descendit.

Epaminondas.

EPaminondas *Marte & Arte prælustris*
Virtute magnos fulsit inter Heroas,
Cadméa quondam terra quos tulit raros,
Minora ut inter astra prænitet Phœbe.
Sophiæ Magister inclutusq; bellator
Cecinit peritè commodéq; saltavit,
Patiens, modestus, eloquens, manu fortis,
Complexus omnes unus omnium laudes,
Quos ulla Virtus ullaq; extulit fama.
Rejecit alto regias opes vultu,
Egens bonorum, contumeliis spretis
Ad arma cives concitavit & bello
Spartæ insolentis insolentiam fregit
Ad clara Victor Leuctra Mantineamq;
Jugo

Jugoq; duro servitutis indignæ
Thebana solvit colla, sanctus telo
Lethali, in ipso, lætus atq; ovans, cursu
Victoriarum concidit, Triumphator
Invictus armis, quo cadente Thebanæ
Collapsa Gentis gloria atq; Libertas.

PELOPIDAS.

PELOPIDAS Thebanus magis historiis, qvàm vulgo, notus: cujus de virtutibus dubito, qvemadmodum exponam, qvòd vereor, ne, si res explicare incipiam, non vitam ejus enarrare, sed historiam videar scribere: si tantummodò summas attigero, ne rudibus litterarum Græcarum minus lucidè appareat, qvantus fuerit ille vir. Itaqve utriqve rei occurram, qvantum potero, & medebor cùm satietati, tum ignorantiæ lectorum. Phœbidas Lacedæmonius, cum exercitum Olynthum duceret, iterqve per Thebas faceret, arcem oppidi, qvæ Cadméa nominatur, occupavit, impulsu perpaucorum Thebanorum, qvi adversariæ factioni, qvo facilius resisterent, Laco-

num rebus ſtudebant: idqve ſuo privato, non publico fecit conſilio. qvo facto eum Lacedæmonii ab exercitu removerunt, pecuniaq; multarunt: neqve eo magis arcem Thebanis reddiderunt, qvòd ſuſceptis inimicitiis ſatius ducebant eos obſideri, qvàm liberari. Nam poſt Peloponneſium bellũ Athenasqve devictas, cum Thebanis ſibi rem eſſe, exiſtimabant: & eos eſſe ſolos, qvi adverſus reſiſtere auderent. Hac mente amicis ſuis ſummas poteſtates dederant, alterius factionis principes partim interfecerant, alios in exilium ejecerant, in qvibus Pelopidas hic, de qvo ſcribere exorſi ſumus, pulſus patria carebat. Hi omnes ferè Athenas ſe contulerant, non ut ſeqverentur otium, ſed ut qvemcunq; ex proximo locum Fors obtuliſſet, eo patriam recuperare niterentur. Itaqve cum tempus eſt viſum rei gerendæ, communiter cum his, qvi Thebis idem ſentiebant, diem delegerunt ad inimicos opprimendos, civitatemqve liberandam eum, qvo maximi magiſtratus ſimul conſveverant

rant epulari. Magnæ sæpè res, non ita magnis copiis sunt gestæ: sed profectò nunqvam ab tam tenui initio tantæ opes sunt profligatæ. nam duodecim adolescentuli coierunt ex iis, qvi exilio erant multati, cum omninò non essent amplius centum, qvi tanto se offerrent periculo, qva paucitate percussa est Lacedæmoniorum potentia. Hi enim nō magis adversariorum factioni, qvàm Spartanis eo tempore bellum intulerunt: qvi principes erant totius Græciæ. qvorum imperiosa majestas, neqve ita multò post Leuctricam pugnam ab hoc initio perculsa cecidit. Illi igitur duodecim, qvorum erat dux Pelopidas, cùm Athenis interdiu exissent, ut vesperascente cœlo Thebas possent pervenire, cum canibus venaticis exierunt, retia ferentes, vestitu agresti, qvo minore suspicione facerent iter. qvi cum tempore ipso, qvo studuerant, pervenissent, domum Charonis deverterunt, à qvo & tempus & dies erat datus. Hoc loco libet interponere, etsi sejunctum à re proposita

est. NIMIA FIDUCIA QVANTÆ CALAMITATI SOLEAT ESSE. Nam magistratuum Thebanorum statim ad aures pervenit, exules in urbem deveniſſe. Id illi vino, epulisqve dediti, usqve eo despexerunt, ut ne qværere qvidem de tanta re laborarint, accessit etiam, qvod magis aperiret eorum dementiam. allata est enim epistola Athenis ab Archia hierophante Archiæ, qvi tum maximum magistratum Thebis obtinebat: in qva omnia de profectione exulum scripta erant: qvæ cùm jam accubanti in convivio esset data, ficut erat signata in pulvinum subjiciens, in crastinum, inqvit, differo res severas. At illi omnes, cùm jam nox processisset, vinolenti ab exulibus duce Pelopida sunt interfecti. Qvibus rebus confectis, vulgo ad arma libertatemqve vocato, non solùm qvi in urbe erant, sed etiam undiqve ex agris concurrerunt, præsidium Lacedæmoniorum ex arce pepulerunt, patriam obsidione liberarunt, auctores Cadmeæ occupandæ partim occiderunt,

runt, partim in exilium ejecerunt. Hoc tam turbido tempore (sicut supra docuimus) Epaminondas, qvoad cum civibus dimicatum est, domi qvietus fuit. Itaqve liberandarum Thebarum propria laus est Pelopidæ: cæteræ ferè omnes communes cum Epaminonda. namqve Leuctrica pugna, Imperatore Epaminonda, hic fuit dux delectæ manus, qvæ prima phalangem prostravit, Laconum omnibus prætereа periculis affuit, sicut Spartam cùm oppugnavit, alterum tenuit cornu: qvoq; Messena celerius restitueretur, legatus in Persas est profectus. Deniq; hæc fuit altera persona Thebis, sed tamen secũda, ita ut proxima esset Epaminondæ. Conflictatus autem est cum adversa fortuna. nam & initio (sicut ostendimus) exul patria caruit: & cùm Thessaliam in potestatem Thebanorum cupereret redigere, legationisqve jure satis tectum se arbitraretur, qvod apud omnes gentes sanctum esse consveesset, à tyranno Alexandro Pheræo simul cum Ismenia comprehensus, in vincula

conjectus est. Hunc Epaminondas recuperavit bello persequens Alexandrum. Post id factum, nunquam is animo placari potuit in eum, à quo erat violatus. Itaq; persuasit Thebanis, ut subsidio Thessaliæ proficiscerentur tyrannosq; ejus expellerent. Cujus belli summa cùm ei esset data, eoque cum exercitu profectus esset, non dubitavit, simul ac conspexit hostem, confligere. In quo prælio Alexandrum ut animadvertit, incensus ira equum in eum concitavit, proculq; digressus à suis, conjectu telorum confossus, cecidit. Atq; hoc secunda victoria accidit. nam jam inclinatæ erant tyrannorum copiæ. Quo facto omnes Thessaliæ civitates interfectum Pelopidam coronis aureis & statuis æneis, liberosque ejus multo agro donaverunt.

PELOPIDAS.

Axiomata.

1. *Qui illustrium Vitas Virorum scribunt, cùm satietati, tùm ignorantiæ lectorum medi-*

medeantur, ne superflua commemorando nauseam his moveant, aut necessaria omittendo, non expleant desiderium. Etiam hic mediocritatis regula optima est, ut ait Cic. 2. Off. πάντων μέτ' ἄριστον, Theognis.

2. Perfidiæ notam Spartani non effugiunt, qui Phœbidam auctorem facinoris pecunia mulctant, & ipsum factum probant, præsidium non deducendo ex Arce Cadmea (Nomen huic est à Cadmo illo Thebarum Conditore, qui ex Phoenicia primus literas in Græciam intulisse dicitur, ob eam rem dictas ab Ausonio Cadmi nigellas filias.) Quàm multi & hodiè omnia simulant, dissimulant & dulces oratione, re acerbi, dicta factis non comprobant?

3. Magnæ quandoq; res non magnis geruntur copiis. Davidis pueri funda sternitur immanis Goliathus. Suprà Thrasybulus triginta stipatus comitibus servitute Athenas liberat durissima, triginta Tyrannis oppressis. Dion cum duabus navibus onerariis domo profectus quinquaginta annorum Imperi-

um Siculum, quingentis longis navibus munitum, oppugnat, evertit. In exercitu Alexandri M. fuerunt triginta duo peditum millia, quinq; Equitum, quibus universum terrarum orbem & aggressus est & vicit, Supplem. in Curt. l. 2. Tanta vis fati!

4. *Nimiæ potentiæ & insolentiæ comes est ruina. Expertiid Lacedæmonii. Præclarè Cæs. l. 1. de bell. Gall. Consueverunt Dii immortales, quo gravius homines ex commutatione rerum doleant, quos pro scelere eorum ulcisci velint, his secundiores interdum res & diuturniorem impunitatem concedere, & Xenoph. l. 6. Hist. Græca.* Ὁ Θεὸς χαίρει τὰς μὲν μικρὰς μεγάλας ποιῶν, τὰς δὲ μεγάλας μικρὰς, *consuevit DEUS parvos magnos facere, magnos verò parvos.*

5. *Nimia fiducia magnæ solet esse calamitati. Supra in Thrasyb. mater timidi flere non solet Eurip. in Hel.*

— — σώφρον᾽ δ᾽ ἀπιστίας
οὐκ ἔστιν οὐδὲν χρησιμώτερον βροτοῖς,

prudente diffidentia nihil utilius mortalibus, sed profectò ineluctabilis fatorum vis,

vis, cujus fortunam mutare constituit, consilia corrumpit. Vell. Paterc. l. 2.

6. In crastinum seria, vel, ut habet Plat. in Pelop. εἰς ἄνεχον τὰ σπουδαῖα differre, non semper tutum est. Cæsar apud Suet. in Vit. libellum, insidiarum indicem, Idibus Martiis oblatum legere differt ac perit.

7. Explorant adversa viros: ut ferrum, nisi exerceas, est rubigo, ita Virtutem jugis felicitas; in adversis verò effulget illa, ut cœlo luna sereno inter minora sidera, hinc Attalus Stoicus ap. Sen. ep. 67. malo me fortuna in castris suis, quàm in deliciis habeat.

8. Mors Victoris gloriosa vereq; Imperatoria, ignava Herοi summè invisa, hinc Æneas fluctibus tantùm non oppressus, in undis pereundum sibi esse ratus, exclamat:

— — ô terq; quaterq; beati,
Queis ante ora Patrum, Trojæ sub mœnibus altis
Contigit oppetere l. 1. Æn.

9. Legati jure gentium sunt inviolabiles, eos cùm violásset Corinthus, à Romanis

eversa est, Duce Mummio. At Tyrannus jura negat sibi nata, inprimis hic Alexander eximia crudelitate tyrannus extitit, ut qui solitus est vivos homines terra defodere, alios pro ludo pellibus tectos aprorum & ursarum, venaticis canibus objecit discerpendos, etiam lanceam, qua confoderat patruum Lycophronem, consecravit eiq; ut Deo, immolari voluit. Plutar. in Pelop.

Pelopidas.

PElopidas pulsus Thebis, adit exul Athenas
Sociûm comitante corona;
Inde gemit Patria invisis oppressa Tyrannis,
Tumido dominante Lacone.
Bis senis verò sociis stipatus, Amicum
Simulans, sibi nota subintrat
Mœnia Pelopidas, omni formidine cadit
Vacuos impunè Tyrannos
Vino epulisq; graves, patriamq; tyrannide sæva
Solvit revocatq; salutem.
Idem subduxit nulli sua terga periclo,
Gnato comes usq; Polymni.

Tan-

Tandem & Alexandrum pugnis victricibus urgens,
Fugienti audacius instat,
Confossusq; cadit telis, cui Thessala tellus
Statuas locat æreq; & auro.

AGESILAUS.

AGESILAUS Lacedæmonius, cùm à cæteris scriptoribus, tum eximiè à Xenophonte Socratico collaudatus est. eo enim usus est familiarissimè. Hic primùm de regno cum Leotychide fratris filio habuit contentionem. Mos est enim à majoribus Lacedæmoniis traditus, ut duos haberent semper reges, nomine magis, qvàm imperio, ex duabus familiis Proclis & Eurysthenis: qvi principes ex progenie Herculis Spartæ reges fuerunt. harum ex altera in alterius familiæ locum fieri non licebat, Itaqve uterq; suum retinebat ordinem. Primus in eo habebatur, qvi maximus natu esset ex liberis ejus, qvi regnans decessisset. sin is virilem sexum non reliqvisset, tum deligebant, qvi proximus esset propinqvitate. Mortuus erat Agis rex, frater Agesilai, filium reli-

reliqverat Leotychidem. qvem ille vivus non agnorat: eundem moriens suum esse dixerat. Is de honore regni cum Agesilao suo patruo contendit: neqve id, qvod petivit, consecutus est. nam Lysandro suffragante, homine (ut ostendimus supra) factioso, & his temporibus potente, Agesilaus antelatus est. Hic simul atqve imperii potitus est, persvasit Lacedæmoniis, ut exercitum emitterent in Asiam, bellumqve regi facerent, docens satius esse in Asia, qvàm in Europa, dimicare. namqve fama exierat, Artaxerxem comparare classem, pedestresqve exercitus, qvos in Græciam mitteret. Data potestate, tanta celeritate usus est, ut prius in Asiam cum copiis pervenerit, qvàm regii satrapæ eum scirent profectum. Qvo factum est, ut omnes imperatores imparatos; imprudentesqve offenderet. Id ut cognovit Tissaphernes, qvi summum imperium tum inter præfectos habebat regios, inducias à Lacone petivit, simulans se dare operam, ut Lacedæmoniis cum rege conveniret: re autem

autem vera ad copias comparandas: easqve impetravit semestres. Juravit autem uterqve se sine dolo inducias conservaturum, in qva pactione summa fide mansit Agesilaus: contra ea Tissaphernes nihil aliud, qvàm bellum comparavit. Id etsi sentiebat Laco, tamen jusjurandum servabat, multumqve in eo conseqvi se dicebat, qvòd Tissaphernes perjurio suo, & homines suis rebus abalienaret, & deos sibi iratos redderet: se autem servata religione confirmare exercitum, cùm animadverteret deorum numen facere secum, hominesqve sibi conciliari, qvòd his studere consvessent, qvos conservare fidem viderent. Postqvam induciarum præteriit dies, barbarus non dubitans, qvòd ipsius erant plurima domicilia in Caria, & ea regio his temporibus multo putabatur locupletissima, eò potissimùm hostes impetum facturos: omnes suas copias eò contraxerat. At Agesilaus in Phrygiam se convertit, eamq; prius depopulatus est, qvàm Tissaphernes usqvam se moveret. Magna præ-

da

da militibus locupletatis Ephesum hyematum exercitum reduxit, atqve ibi officinis armorum institutis, magna industria bellum paravit: & qvo studiosius armarentur, insigniusqve ornarentur, præmia proposuit, qvibus donarentur, qvorum egregia in ea re fuisset industria. Fecit idem in exercitationum generibus, ut, qvi cæteris præstitissent, eos magnis afficeret muneribus. His igitur rebus effecit, ut & ornatissimum, & exercitatissimum haberet exercitum. Huic cum tempus esset visum copias extrahere ex hybernaculis, vidit, si qvò esset iter facturus, palàm pronunciasset, hostes non credituros, aliasqve regiones occupaturos, nec dubitaturos aliud esse facturum, ac pronunciasset. Itaqve cum ille Sardis se iturum dixisset, Tissaphernes eandem Cariam defendendam putavit. In qvo cum eum opinio fefellisset, victumqve se vidisset consilio: serò suis præsidio profectus est. nam cùm illò veniisset, jam Agesilaus, multis locis expugnatis, magna erat præda potitus. Laco autem, cùm videret

deret hostes eqvitatu superare, nunqvam in campo sui fecit potestatem, & his locis manum conseruit, qvibus plus pedestres copiæ valerent. Pepulit ergo, qvotiescunq; congressus est, multò majores adversariorum copias, & sic in Asia versatus est, ut omnium opinione victor duceretur. Hic cùm animo meditaretur proficisci in Persas & ipsum regem adoriri, nuncius ei domo venit Ephorum jussu, bellum Athenienses & Bœotios indixisse Lacedæmoniis: qvare venire non dubitaret. In hoc non minus ejus pietas suspicienda est, qvam virtus bellica: qvi cum victori præesset exercitui, maximamqve haberet fiduciam regni Persarum potiundi, tanta modestia dicto audiens fuit jussis absentium magistratuum, ut si privatus in comitio esset Spartæ. cujus exemplum utinam imperatores nostri seqvi voluissent! sed illuc redeamus. Agesilaus opulentissimo regno præposuit bonam existimationem, multoqve gloriosius duxit, si institutis patriæ paruisset, qvàm si bello Asiam superasset. Hac igitur mente

mente Helleſpontum copias trajecit, tantaqve uſus eſt celeritate, ut, qvod iter Xerxes anno vertente confecerat, hic tranſierit triginta diebus. Cùm jam haud longè abeſſet à Peloponneſo, obſiſtere ei conati ſunt Athenienſes & Bœotii, cæteriqve eorum ſocii, apud Coroneam: qvos omnes gravi prælio vicit. Hujus victoriæ vel maxima fuit laus, qvòd cùm pleriqve ex fuga ſe in templum Minervæ conjeciſſent, qværeturq; ab eo, qvid his fieri vellet, etſi aliqvot vulnera acceperat eo prælio, & iratus videbatur omnibus, qvi adverſus arma tulerant, tamen antetulit iræ religionem, & eos vetuit violari. Neqve hoc ſolùm in Græcia fecit, ut templa deorum ſancta haberet: ſed etiam apud barbaros ſumma religione omnia ſimulacra, arasqve conſervavit. Itaqve prædicabat, mirari ſe non ſacrilegorum numero haberi, qvi ſupplicibus eorum nocuiſſent: aut non gravioribus pœnis affici, qui religionem minuerent, qvàm qvi fana ſpoliarent. Poſt hoc prælium collatum eſt omne bellum

lum circa Corinthum: ideoqve Corinthum est appellatum. Hic cum una pugna decem millia hostium, Agesilao duce, cecidissent: eoqve facto opes adversariorum debilitatæ viderentur: tantum abfuit ab insolentia gloriæ, ut commiseratus sit fortunam Græciæ, qvòd tam multi à se victi vitio adversariorum concidissent. namqve illa multitudine, si sana mens esset, Græciæ supplicium Persas dare potuisse. Idem cùm adversarios intra mœnia compulisset, & ut Corinthum oppugnaret, multi hortarentur: negavit id suæ virtuti convenire. se enim eum esse dixit, qvi ad officium peccantes redire cogeret, non qvi urbes nobilissimas expugnaret Græciæ. nam si, inqvit, eos extingvere voluerimus, qvi nobiscum adversus barbaros steterunt, nosmetipsi nos expugnaverimus, illis qviescentibus. qvo facto sine negocio, cùm voluerint, nos oppriment. Interim accidit illa calamitas apud Leuctra Lacedæmoniis, qvo ne proficisceretur, cum à plerisq; ad exeundum premeretur,

tur, ut si de exitu divinaret, exire noluit. Idem cùm Epaminondas Spartam oppugnaret, essetq; sine muris oppidum: talem se imperatorem præbuit, ut eo tempore omnibus apparuerit, nisi ille fuisset, Spartam futuram non fuisse. in qvo qvidem discrimine celeritas ejus consilii saluti fuit universis. nam cum qvidam adolescentuli hostium adventu perterriti ad Thebanos transfugere vellent, & locum extra urbem editum cepissent: Agesilaus, qvi perniciosissimum fore videret, si animadversum esset, qvenqvam ad hostes transfugere conari, cum suis eò venit atqve, ut si bono animo fecissent, laudavit consilium eorum, qvòd eum locum occupassent, & se, id qvoqve fieri debere, animadvertisse. Sic adolescentulos simulata laudatione recuperavit & adjunctis de suis comitibus, locum tutum reliqvit, namqve illi aucto numero eorum, qvi expertes erant consilii, commovere se non sunt ausi, eoqve libentius, qvòd latere arbitrabantur, qvæ cogitarant. Sine dubio post Leuctricam pugnam Lacedæmonii

dæmonii se nunqvam refecerunt, neqve pristinum imperium recuperarunt: cùm interim Agesilaus non destitit, qvibuscunqve rebus posset patriam juvare. nam cùm præcipuè Lacedæmonii indigerent pecunia: ille omnibus, qvi à rege defecerant, præsidio fuit, à qvibus magna donatus pecunia, patriam sublevavit. Atqve in hoc illud inprimis fuit admirabile, cum maxima munera ei ab regibus, & dynastis, civitatibusqve conferrentur, nihil unqvam in domum suam contulit, nihil de victu, nihil de vestitu Laconum mutavit, Domo eâdem fuit contentus, qvâ Euristhenes, progenitor majorum suorum, fuerat usus: qvam qvi intrarat, nullum signum libidinis, nullum luxuriæ videre poterat: Contrà, plurima patientiæ, atqve abstinentiæ. Sic enim erat instructa, ut nulla in re differret à cujusvis inopis atqve privati. Atqve hic tantus vir ut naturam fautricem habuerat in tribuendis animi virtutibus, sic maleficam nactus est in corpore, exiguus, & claudus altero pede. Qvæ res etiam nonnul-

nonnullam afferebat deformitatem: atqve ignoti faciem ejus cùm intuerentur, contemnebant, qvi autem virtutem noverant, non poterant admirari satis. Qvod ei usu venit, cùm annorum octoginta subsidio Thaco in Ægyptum iviſſet, & in acta cum suis accubuisset, sine ullo tecto: stratumqve haberet tale, ut terra tecta esset stramentis: neqve huc amplius, qvàm pellis esset injecta, eodemqve comites omnes accubuissent, vestitu humili, atqve obsoleto, ut eorum ornatus non modò in his regem neminem significaret, sed hominis non beatissimi suspicionem præberet. Hujus de adventu fama cùm ad regios esset perlata, celeriter munera eò cujusqve generis sunt allata. His qværentibus Agesilaum, vix fides facta est, unum esse ex iis, qvi tum accubabant. Qvi cùm regis verbis, qvæ attulerant, dedissent, ille præter vitulina, & hujusmodi genera obsonii, qvæ præsens tempus desiderabat, nihil accepit, unguenta, coronas secundamqve mensam servis dispertiit, cæteraqve

teraqve referri jussit. Qvo facto eum barbari magis etiam contemplerunt, qvòd eum ignorantia bonarum rerum illa potissimùm sumpsisse arbitrabantur. Hic cùm ex Ægypto reverteretur, donatus à rege Nectanabe ducentis viginti talentis, qvæ ille muneri populo suo daret: venissetqve in portum, qvi Menelai vocatur, jacens inter Cyrenas & Ægyptum, in morbum implicitus decessit. ibi eum amici, qvò Spartam faciliùs perferre possent, qvòd mel non habebant, cera circumfuderunt; atqve ita domum retulerunt.

AGESILAUS.

Axiomata.

1. *Celeritas temeraria noxia, ut ait Græcus:* πρόπετεια πολλοῖς ἐστιν αἰτία κακῶν, *temeritas multis est causa malorum; Consultâ salutaris, uti Alexandrum & Cæsarem celeritate res maximas confecisse palàm est, & nuper G. Adolphus, vindex ille libertatis Germanicæ, arma victricia per florentissimam Imperii partem celerrimè circumferendo,*

multis saluti, non paucis terrori, nonnullis admirationi fuit.

2. Perjuris DEUS hominesq; infensi. Jusjurandum sanctè servandum. Hesiod. l. 1. Op.

Ἀνδρὸς δ' ἐνόρκου γένεη μετόπισθεν ἀμείνων.

Viri autem, qui jusjurandum religiosè colit, genus imposterum melius.

3. Licet ex armorum splendore pretioq; de virtute militis judicari nec possit, nec debeat, sicut & Alexander M. apud Just. l. XI. hortatur suos, ut spernant aciem auro & argento fulgentem, in qua plus præda, quàm periculi sit, fulgentia tamen nitidaq; arma militum augent alacritatem & fiduciam, hinc Dario victo Alexander phaleras equorum & arma militum argento induxit, qui proinde dicti sunt Argyraspides Just. l. 12. Alioquin Agesilaus, tot illustris victoriis, nihil quicquam in cultu mutavit, neq; injucundum fuit spectaculum, cùm Præfecti Ducesq; splendidè vestiti hominem venerati sunt in obsoleta læna obambulantem.

4. Παῖδε-

4. Πείθεσθαι ἄμεινον, inqvit Hesiod. l. 1. obtemperare melius est. Superioribus qvibusvis mos gerendus est, cum obsequio parta, non inferior sit armis qvæsita gloria. Πειθαρχία εὐπραξίας μήτηρ, obedientia felicitatis mater. Agesilaus non morem tantum gerebat Ephoris, sed his etiam supervenientibus, cum in regio sedebat solio, assurgebat novoq; Senatori semper lænam ac bovem donabat. Plut in Ages.

5. Templa & Aræ omnium pænè gentium consensu Asyla fuere supplicum, vitam deprecantium, cujus rei exempla in Historiis extant plurima. Joab ad aram confugit 1. Reg. 2. Troja ardente Hecuba Priamum huc invitat inqviens. 2. Æn.

— — hæc ara tuebitur omnes.

Agesilaus laudem in eo meritus est, qvod loca sancta violare ac spoliare, etiam in hostili solo, nefas habuit, at infelici hujus seculi bello

— qvid intactum nefasti
Liqvimus, unde manus juventus

Metu Deorum continuit, quibus
Pepercit aris. Horat. l. 1. od 35.
Honorantem autem DEUS honorat, ut
ait Scriptura & Livius: omnia, ait,
prospera eveniunt Deos colentibus, ad-
versa spernentibus.

6. *Qui infestis Patriam armis oppugnant,*
in sua ferrum vertunt viscera, jucun-
da hosti præbent spectacula sibiq; ipsis
exitium attrahunt.

7. *Non domo Dominus, sed domus Domi-*
no honestanda est Cic. 1. Off. Ampla sa-
tis & honorata domus, in qva patien-
tia & abstinentiæ plurima, nulla libidi-
nis aut luxuriæ signa apparent.

8. *Multi fautricem naturam nacti sunt in*
tribuendis animi Virtutibus, maleficam
experti in corpore. In his fuit Ages-
laus, qvi ob corporis deformitatem virus
noluit & moriens interdixit, ne qvis fin-
geret, aut pingeret corporis sui effigiem
Plut. in Ages. Hannibal oculo dextro
carebat, pede sinistro varus, statura
pusillus, vultu torvus, at qvantas res
gessit? Alexandrum etiam evi illius
Scriptores fuisse commemorant collo
exili,

exili, capite grandi, facie lurida & membris parùm concinnis, idem verò animi magnitudine qvem parem habuit?

9. Qvibus Juvenes studiis assuevere, iisdem & Senes plerumq; delectantur. Agesilaus ante bellare non desiit, qvàm vivere, de eo usurpari potuit illud Ciceronis de Appio & sene & cœco in Cat. Maj. Intentum animum, tanqvam arcum habebat, nec languescens succumbebat senectuti.

10. Honores & opes nihil in cultu aut moribus mutent. In hoc laudandus Agesilaus, at Alexander rerum potitus eò insolentiæ processit, ut Philippi fastidio Jovem Hammonem Patrem adsciscere, vestem & instituta Persicà assumeret, spretoq; mortali habitum divinum æmularetur, adeo felicitatis & moderationis dividuum contubernium est, ut loqvitur Val. Max. l. 9. c. 5.

Agesilaus.

AGesilaus *inclutum Spartæ decus*
Adoream laudis meretur,

Quem virtus, quem sancta fides promissaq;
sanctè
Servata laurea coronant.
Solo relicto patrio bellum facit
Victrice Rex manu Artaxerxi,
Lateq; victor militem præda beat,
Hostile per solum vagatus.
Ausurus ipsam subjugare Persiam,
Revocatur ad lares paternos.
Parens, parata patriæ Dux impiger
Ope subvenit periclitanti,
Aris ubiq; parcit, ac metu, vetat
Violare supplices, Deorum,
Oditq; luxus regios, Laconico
Pro more parcè victitando,
Brevis staturâ corporis, claudus pede,
Virtute miranda coruscans,
Senex quoq; arma tractat & famam bonam
Ægyptias differt per oras,
Et fert talenta præmia & post ultima
Sua fata gloriam perennem.

EUMENES.

EUMENES Cardianus. Hujus si virtuti par data esset fortuna, non ille qvidem major fuisset, sed multo illustrior,

lustrior, atqve etiam honoratior; qvòd magnos homines virtute metiuntur, non fortuna, prudentes. Nã cùm ætas ejus incidisset in ea tempora, qvibꝰ Macedones florerent, multum ei detraxit inter hos viventi, qvòd alienæ erat civitatis: neqve aliud huic defuit qvàm generosa stirps. tametsi enim ille domestico summo genere erat, tamen Macedones eum sibi aliqvando anteponi indignè ferebant: neqve tamen non patiebantur. vincebat enim omnes cura, vigilantia, patientia, calliditate, & celeritate ingenii. Hic peradolescentulus ad amicitiam accessit Philippi, Amyntæ filii, breviqve tempore in intimam pervenit familiaritatem. Fulgebat enim jam in adolescentulo indoles virtutis. Itaqve eum habuit ad manum scribæ loco: qvòd multo apud Grajos honorificentius est, qvàm apud Romanos. nam apud nos revera, sicut sunt, mercenarii scribæ existimantur: at apud illos è contrario, nemo ad id officium admittitur, nisi honesto loco, & fide, & industria cognita, qvòd necesse est o-

mnium consiliorum eum esse participem. Hunc locum tenuit amicitiæ apud Philippum annos septem. illo interfecto, eodem gradu fuit apud Alexandrum annos tredecim. Novissimo tempore præfuit etiam alteri equitum alæ, quæ hetærice appellabatur. Utriqve autem consilio semper affuit, & omnium rerum habitus est particeps. Alexandro Babylone mortuo, cùm regna singulis familiaribus dispartirentur, & summa rerum tradita esset tuenda eidem, cui Alexander moriens annulum suum dederat, Perdiccæ; ex quo omnes conjecerant, eum regnum ei commendasse, qvoad liberi ejus in suam tutelam pervenissent: aberant enim Craterus, & Antipater, qvi antecedere hunc videbantur: mortuus erat Hephæstio, qvem vivum Alexander, qvod facilè intelligi posset, plurimi fecerat: Hoc tempore data est Eumeni Cappadocia, sive potius dicta. nam tum in hostium erat potestate. Hunc sibi Perdiccas adjunxerat magno studio, qvod in homine fidem, & industriam

striam magnam videbat, non dubitans, si eum pellexisset, magno usui fore sibi in his rebus, qvas apparabat. Cogitabat enim, qvod ferè omnes in magnis imperiis concupiscunt, omnium partes corripere, atqve complecti. Neqve verò hoc solus fecit, sed ceteri qvoqve omnes, qvi Alexandri fuerant amici. Primus Leonnatus Macedoniam præoccupare destinaverat. Is multis magnisqve pollicitationibus persvadere Eumeni studuit, ut Perdiccam desereret, ac secum faceret societatem. Cùm eum perducere non posset, interficere conatus est: & fecisset, nisi ille clàm noctu ex præsidiis ejus effugisset interim conflata sunt illa bella, qvæ ad internecionem post Alexandri mortem gesta sunt, omnesqve concurrerunt ad Perdiccam opprimendum, qvem etsi infirmum videbat, qvòd unus omnibus resistere cogebatur, tamen amicum non deseruit, neqve salutis, qvàm fidei fuit cupidior. Præfecerat eum Perdiccas ei parti Asiæ, qvæ inter Taurum montem jacet atqve Hellespon-

tum: & illum unum oppoſuerat Europæis adverſariis. Ipſe Ægyptum oppugnatum adverſus Ptolomæum erat profectus. Eumenes cùm neqve magnas copias, neqve firmas haberet, qvòd inexercitatæ, & non multò antè erant contractæ; adventare autem dicerentur, Helleſpontumq; transcurriſſe Antipater & Craterus magno cum exercitu Macedonum, viri cùm claritate, tum uſu belli præſtantes: Macedones verò milites ea tunc erant fama, qva nunc Romani feruntur: etenim ſemper habiti ſunt fortiſſimi, qvi ſummam imperii potirentur. Eumenes igitur intelligebat, ſi copiæ ſuæ cognoſcerent, adverſus qvos ducerentur, non modò non ituras, ſed ſimul cum nuncio dilapſuras. Itaqve hoc ejus fuit prudentiſſimum conſilium, ut deviis itineribus milites duceret, in qvibus vera audire non poſſent: & his perſvaderet, ſe contra qvosdam barbaros proficiſci. Itaqve tenuit hoc propoſitum, & prius in aciem exercitum eduxit; præliumqve commiſit, qvàm milites

tes sui scirent, cum qvibus arma conferrent. Effecit etiam illud locorum præoccupatione, ut eqvitatu potius dimicarer, qvo plus valebat, qvàm peditatu, qvo erat deterior. Qvorum acerrimo concursu cùm magnam partem diei esset pugnatum, cadit Craterus dux, & Neoptolemus, qvi secundum locum imperii tenebat, cum hoc concurrit ipse Eumenes, qvi cùm inter se complexi, in terram ex eqvis decidissent, ut facilè intelligi posset inimica mente contendisse, animoqve magis etiam pugnasse, qvam corpore: non prius distracti sunt, qvàm alterum anima reliqverit. Ab hoc aliqvot plagis Eumenes vulneratur, neqve eo magis ex prælio excessit, sed acrius hostibus institit. Hîc eqvitibus profligatis, interfecto duce Cratero, multis præterea, & maximè nobilibus captis, pedestris exercitus, qvòd in ea loca erat deductus, ut invito Eumene elabi non posset, pacem ab eo petiit, qvam cùm impetrasset, in fide non mansit, & se, simul ac potuit, ad Antipatrum recepit. Eumenes Craterum

rum ex acie semivivum elatum recreare studuit: cùm id non posset, pro hominis dignitate, proqve pristina amicitia (namqve illo usus erat, Alexandro vivo, familiariter) amplo funere extulit, ossaqve in Macedoniam uxori ejus, ac liberis remisit. Hæc dum apud Hellespontum geruntur, Perdiccas apud flumen Nilum interficitur à Seleuco & Antigono: rerumqve summa ad Antipatrum defertur. Hîc, qvi deseruerant, exercitu suffragium ferente, capitis absentes damnantur, in his Eumenes. Hac ille perculsus plaga non succubuit, neqve eo secius bellum administravit, sed exiles res animi magnitudinem, etsi non frangebant, tamen imminuebant. Hunc persequens Antigonus, cùm omni genere copiarum abundaret, sæpè in itineribus vexabatur: neqve unqvàm ad manum accedere licebat, nisi locis, qvibus pauci possent multis resistere. Sed extremo tempore cùm consilio capi non posset, multitudine circumventus est. hinc tamen multis suis amissis, se expedivit, & in castellum

Phry-

Phrygiæ, qvod Nora appellatur, confugit. In qvo cum circumsederetur, & vereretur, ne uno loco manens, eqvos militares perderet, qvòd spatium non esset agitandi: callidum fuit ejus inventum, qvemadmodum stans jumentum calefieri exerceriqve posset, qvo libentius & cibo uteretur, & à corporis motu non removeretur. Substringebat caput loro altius, qvàm ut prioribus pedibus planè terram posset attingere. deinde post verberibus cogebat exsultare, & calces remittere, qvi motus non minus sudorem excutiebat, qvàm si in spatio decurreret. Qvo factum est, qvod omnibus mirabile est visum, ut jumenta æqvè nitida ex castello educeret, cum complures menses in obsidione fuisset, ac si in campestribus & planis ea locis habuisset. Qvotiescunqve voluit & apparatum, & munitiones Antigoni alias incendit, alias disjecit. Tenuit autem se uno loco, qvamdiu fuit hyems, qvòd castrum subsidia habere non poterat, ver appropinqvabat: simulata deditione, dum de conditionibus tra-

ctat, præfectis Antigoni imposuit: seqve ac suos omnes extraxit incolumes. Ad hunc Olympias, mater qvæ fuerat Alexandri, cùm literas & nuncios misisset in Asiam consultum, utrum repetitum Macedoniam veniret, (nam tum in Epiro habitabat) & eas res occuparet, an in Epiro maneret? huic ille primum suasit, ne se moveret, & exspectaret, qvoad Alexandri filius regnum adipisceretur. sin aliqva cupiditare raperetur in Macedoniam, omnium injuriarum obliviscereturr, & in neminem acerbiore uteretur imperio. Horum nihil ea fecit. nam & in Macedoniam profecta est, & ibi crudelissimè se gesit. Petiit autē ab Eumene absente, ne pateretur, Philippi domus, & familiæ inimicissimos stirpē qvoq; interimere, ferretqve opē liberis Alexandri qvam veniā si sibi daret, qvam primū exercitus pararet, qvos sibi subsidio adduceret. Id qvò facilius faceret, se omnibus præfectis qvi in officio manebant, misisse literas, ut ei parerent, ejusqve consiliis uterentur. His verbis Eumenes permotus satius

tius duxit, si ita tulisset Fortuna, perire benemeritis referentem gratiam, qvam ingratum vivere. Itaqve copias contraxit, bellum adversus Antigonum comparavit, qvòd unà erant Macedones complures nobiles, in his Peucestes, qvi corporis custos fuerat Alexandri, tum autem obtinebat Persidem: & Teutamus, cujus sub imperio phalanx erat Macedonum: invidiam verens, (qvam tamen effugere non potuit) si potius ipse alienigena summi imperii potiretur, qvàm alii Macedonum, qvorũ ibi erat multitudo: in principiis nomine Alexandri statuit tabernaculum, in eoqve sellam auream cum sceptro ac diademate jussit poni, eoqve omnes qvotidie convenire, ut ibi de summis rebus consilia caperentur, credens minore se invidia fore, si specie imperii, nominisqve simulatione Alexandri bellum videretur administrare: qvod & fecit. nam cùm non ad Eumenis principia, sed ad regia convenirentur, atqve ibi de rebus deliberaretur, qvodammodo latebat, cùm tamen per

eum

eum unum gererentur omnia. Hic in Paræacis cum Antigono conflixit, non acie instructa, sed in itinere, eumq; malè acceptum in Mediam hiematum coegit redire. ipse in finitima regione Persidis hiematum copias divisit, non ut voluit, sed militum ut cogebat voluntas, namqve illa phalanx Alexandri Magni, qvæ Asiam peragrarat, deviceratqve Persas, inveterata cum gloria, tum etiam licentia non parere se ducibus, sed imperare postulabat: ut nunc veterani faciunt. Itaqve periculum est, ne faciant, qvod illi fecerunt sua intemperantia, nimiaqve licentia, ut omnia perdant, neqve minus eos cum qvibus steterint, qvàm adversus qvos fecerint, qvod si qvis illorum veteranorum legat facta, paria horum cognoscat: neqve rem ullam, nisi tempus, interesse judicet. sed ad illos revertar. Hiberna sumpserant non ad usum belli, sed ad ipsorum luxuriam: longeqve inter se discesserant. Hoc Antigonus cùm comperisset, intelligeretqve se parem non esse paratis adversariis, statuit aliqvid sibi

sibi consilii novi esse capiendum. Duæ erant viæ, qva ex Medis, ubi ille hiemabat, ad adversariorum hibernacula posset perveniri. qvarum brevior per loca deserta, qvæ nemo incolebat propter aqvæ inopiam: cæterum dierum erat ferè decem. illa autem, qva omnes commeabant, altero tanto longiorem habebat anfractum, sed erat copiosa, omniumqve rerum abundans. hac si proficisceretur, intelligebat prius adversarios rescituros de suo adventu, qvàm ille tertiam partem confeciisset itineris, sin per loca sola contenderet, sperabat se imprudentem hostem oppressurum. Ad hanc rem conficiendam, imperavit qvàm plurimos utres, atqve etiam culeos comparari: post hæc pabulum: præterea cibaria cocta decem dierum: utqve qvàm minimè fieret ignis in castris, iterq; qvod habebat omnes celat. Sic paratus, qva constituerat, proficiscitur. Dimidium ferè spatium confecerat, cùm ex summo castrorum ejus, suspicio allata est ad Eumenem, hostem appropinqvare. conveniunt duces, qværitur

ritur qvid opus sit facto, intelligebant omnes tam celeriter copias ipsorum contrahi non posse, qvàm Antigonus affuturus videbatur. Hîc omnibus tubantibus, & de rebus summis desperantibus, Eumenes ait, si celeritatem velint adhibere, & imperata facere, qvod ante non fecerint, se rem expediturum. nam qvod diebus qvinq; hostis transisse posset, se effecturum, ut non minus totidem dierum spacio retardaretur: qvare circumirent, suas qvisq; copias contraheret. ad Antigoni autem refrenandum impetum tale capit consilium. Certos mittit homines ad infimos montes, qvi obvii erant itineri adversariorum, hisqve præcepit, ut prima nocte qvam latissimè possint, ignes faciant qvàm maximos: atqve hos secunda vigilia minuant, tertia perexiguos reddant, ut assimulata castrorum consvetudine suspicionem injiciat hostibus, in his locis esse castra, ac de eorum adventu esse prænunciatum: idemq; postera nocte faciant. qvibus imperatum erat, diligenter præceptum curant.

curant. Antigonŏ tenebris obortis, ignes conſpicatur: credit de ſuo adventu eſſe auditum, & adverſarios illuc ſuas contraxiſſe copias. mutat conſilium, & qvoniam imprudentes adoriri non poſſet, flectit iter ſuum, & illum anfractum longiorem copioſæ viæ capit, ibiqve diem unum operitur ad laſſitudinem ſedandam militum, ac reficienda jumenta, qvo integriore exercitu decerneret. Hic Eumenes callidum imperatorem vicit conſilio, celeritatemqve impedivit ejus, neqve tamen multum profecit. nam invidia ducum, cum qvibus erat, perfidiaqve militum, Macedonum veteranorum, cum ſuperior prælio diſceſſiſſet, Antigono eſt deditus, cùm exercitus ei ter antè ſeparatis temporibus juraſſet, ſe eum defenſurum, nec unqvam deſerturum. Sed tanta fuit nonnullorum virtutis obtrectatio, ut fidem amittere mallent, qvam eum non prodere. Atqve hunc Antigonus, cùm ei fuiſſet infeſtiſſimus, conſervaſſet, ſi per ſuos eſſet licitum, qvòd ab nullo ſe plus adju-

adjuvare posse intelligebat in his rebus, qvas impendere jam apparebat omnibus. Imminebant enim Seleucus, Lysimachus, Ptolomæus, opibus jam valentes, cum qvibus ei de summis rebus erat dimicandum, sed non passi sunt ii, qvi circa erant, qvòd videbant, Eumene recepto, omnes præ illo parvi futuros. Ipse autem Antigonus adeò erat incensus, ut, nisi magna spe maximarum rerum, leniri non posset. Itaqve cùm eũ in custodiam dedisset, & præfectus custodum qvæsisset, qvemadmodum servari vellet: ut acerrimum, inqvit, leonem, aut ferocissimum elephantum, nondum enim statuerat, conservaret eum, nec ne. Veniebat autem ad Eumenem utrumqve genus hominum, & qvi propter odium fructum oculis ex ejus casu capere vellent, & qvi propter veterem amicitiam colloqvi, consolariqve cuperent. Multi etiam qvi ejus formam cognoscere studebant, qvalis esset, qvem tamdiu, tamq; valdè timuissent, cujus in pernicie positam spem habuissent victoriæ. At Eumenes, cùm

cùm diutius in vinculis esset, ait Onomarcho, penes qvem summa imperii erat custodiæ, se mirari, qvare jam tertium diem sic teneretur, non enim hoc convenire Antigoni prudentiæ, ut sic se uteretur victo. qvin aut interfici, aut missum fieri juberet. Hic cùm ferocius Onomarcho loqvi videretur, qvid? tu, inqvit, animo si isto eras. cur non prælio cecidisti potius, qvàm in potestatem inimici venires? Huic Eumenes, utinam qvidem istud evenisset, inqvit: sed eò non accidit, qvòd nunqvam cum fortiore sum congressus. non enim cum qvoqvam arma contuli, qvin is mihi succubuerit. non enim virtute hostium. sed amicorum perfidia, decidi. Neqve id falsum. nam & dignitate fuit honesta, & viribus ad laborem ferendum firmis, neqve tam magno corpore, qvàm figura venusta. De hoc Antigonus cum solus constituere non auderet, ad consilium retulit. Hìc cùm pleriqve omnes primò perturbati admirarentur, non jam de eo sumptum esse supplicium, à qvo tot annos adeò

essent

essent malè habiti, ut sæpè ad desperationem forent adducti: qviqve maximos duces interfeciisset, deniqve in qvo uno esset tantum, ut, qvoad ille viveret, ipsi securi esse non possent: interfecto nihil habituri negocii essent: postremò si illi redderet salutem, qværebant, qvibus amicis esset usurus, sese enim cum Eumene apud eum non futuros. Hic cognita consilii voluntate, tamen usqve ad septimum diem deliberandi sibi spatium reliqvit. tum autem cùm verere-tur, ne qva seditio exercitus oriretur, vetuit ad eum qvemqvam admitti, & qvotidianum victum amoveri jussit, nam negabat se ei vim allaturum, qvi aliqvando fuisset amicus. Hic tamen non amplius, qvàm triduum, fame fatigatus, cùm castra moverentur, insciente Antigono jugulatus est à custodibus. Sic Eumenes annorum qvinqve & qvadraginta, cùm ab anno vicesimo (ut supra ostendimus) septem annos Philippo apparuisset, & tredecim apud Alexandrum eundem locum obtinuisset, in his uni eqvitum alæ præfuisset, post

post autem Alexandri mortem, imperator exercitum duxisset, summosqve duces partim repulisset, partim interfeciisset: captus non Antigoni virtute, sed Macedonum perjurio, talem habuit exitum vitæ. De qvo qvanta fuerit omnium opinio eorum, qvi post Alexandrum Magnum reges sunt appellati, ex hoc facillimè potest judicari, qvod nemo Eumene vivo rex appellatus est, sed præfectus. iidem post hujus occasum, statim regium ornatum, nomenq; sumpserunt: neqve, qvod initio prædicarant, se Alexandri liberis regnum servare, id præstare voluerunt, & uno propugnatore sublato, qvid sentirent, aperuerunt. Hujus sceleris principes fuerunt Antigonus, Ptolomæus, Seleucus, Lysimachus, Cassander. Antigonus autem Eumenem mortuum, propinqvis ejus sepeliendum tradidit. qvi eum militari, honestoq; funere, comitante toto exercitu, humaverunt, ossaq; ejus in Cappadociam ad matrem, atq; uxorem liberosq; ejus deportanda curârunt.

Eume-

EUMENES.

Axiomata.

1. *Eumenes Cardianus (Cardia urbs Thraciæ) Alexandro M. charissimus eoq; vivo Dux alæ, à societate Regia Heterice dictæ, Virtuti plus, quàm Fortunæ debuit, ideoq; cæteris illustrior haberi meretur, cum magnos homines non fortuna sed Virtute metiri fas sit. Uti in quosdam homines pecunia, quomodo denarius in cloacam (dicto sit venia) cadit, ut ait Sen. ep. 87. ita indignissimi quandoq; fortunis florent & honoribus amplissimis.*

2. *Stirpis ac Generis nobilitas multis profuit, nocuit obscuritas, quanquam illa Virtute cassa ad laudem parandam minimè sufficit. Cùm Seriphius quidam Themistocli exprobrâsset, quod nunquam, nisi Athenis natus fuisset, tantùm sibi famæ gloriæq; peperisset, reposuit ille: Rectè: neq; ego, si Seriphius fuissem evasissem clarus, neq; tu, si Athenienſis.*

3. *Bonæ mentis indolis q; indicia maturè cognoscuntur. Alexander admodum*

puer

puer nihil humile aut puerile scisciatus admirationi fuit Legatis Persicis l. 1. Suppl. in Curt. Sylla cum Cæsarem puerum negligentius vestitum vidisset, monuit à male cincto sibi puero Roma caveret. Ita Cato prima pueritia invictæ specimen edidit constantiæ: cùm enim in domo Drusi Avunculi sui educaretur & Legati ad hunc Latinorum de Civitate impetranda convenissent, à Q. Poppedio, Latinorum Principe rogatus, ut socios apud Avunculum adjuvaret, constanti vultu se non facturum respondit, sæpius interpellatus in proposito perstitit, tunc Poppedius in excelsam ædium partem levatum, abjecturum inde se, nisi precibus obtemperaret, minatus est, neq; tamen hac re ab incepto moveri potuit, tùm Poppedius ad Socios conversus, gratulemur, inquit, nobis, Latini, hunc tam parvum esse, quo Senatore ne sperare quidem nobis Civitatem licuisset. V. Max. l. 3. c. 1.

4. *Regum & Principum mortes ingentes turbas, damna, calamitates trahunt comites, maximè si ἀπρόοπτοι decedant.*

Alexander M. ab Amicis fatalem lectum circumstantibus interrogatus, cui Regnum relinqueret, respondit: Optimo, annulum verò digito detractum Perdiccæ tradidit, hinc graves ortæ dissensiones & bella infinita, neq; ante de Principatu contendere Duces cessarunt, quàm mutuis cladibus attriti & enervati in Romanorum pervenere potestatem. Vid Curt. l. 10.

5. Ut ira, ita amor Heroum nimis vehemens esse solet. Ira Alexandri Clyto aliisq; amicissimis vitam ademit, Hephæstionem idem supra, quàm dici potest, amavit, alterum Alexandrum dixit eoq; mortuo Medicum infelicem, ut in curando negligentiorem, suspendi jussit inq; funus impendit plus quàm duodecim millia talentorum, vel 72. auri tonnas, quas vocant, Curt. l. 10. neq; equos tantùm & asinos totondit, sed & pinnas detraxit muris turresq; Urbibus. Plut. in Alex. & Pelopida.

6. Qui in rebus dubiis & adversis amat adjuvatq;, is verè amicus est. Talis Eumenes fuit Perdiccæ, talis & Olympiadi. Ennius verè: Ami-

Amicus certus in re incerta cernitur. Tarquinium Sup. dixisse ferunt, tùm cum exul esset, se intellexisse, quos fidos Amicos habuisset, quosve infidos. Rarissima hæc Fides. Cic. in Læl. Qui utraq; in re. prospera scilicet & adversa gravem, constantem, stabilem in Amicitia se præstiterit, hunc ex maximè raro hominum genere judicare debemus ac pœne divino. Apud plerosq; cum fortuna stat, cadit q; fides.

7. *Pristinæ Amicitiæ memoria nova vincat odia & recentes deleat simultates. Eumenes cæde Crateri, quo cum olim familiarissimè vixerat, nunciata, ut spirantem adhuc offendit, equo delapsus illacrymavit, dextram ei injecit, quæq; vivo non potuit, mortuo præstitit officia. Ἀγαθοὶ ἀεὶ δάκρυες ἄνδρες, boni viri ad commiserationem & lacrymas propensi.*

8. *Muliebria Imperia rarò felicia. acerba ferè, nunquam diuturna. Experta id Olympias, quæ cùm crudelitate sua Principumq; cæde odium sibi conflâsset, Cassandri jussu interfecta est. Eadem tamen virorum fortium more, neq; en-*

sem expavit percussoris, neq; vulnera refugit, etiam collapsa capillis & veste crura contexit, ne qvid indecorum in corpore videretur. Idem Cassander Alexandri filium Herculem cum matre Barsine & Roxanen cum gnato posthumo Alexandro occidit, ratus Macedoniæ regnum non, nisi scelere, se consequi posse, Just. l.14. & 15.

9. Qvem Regem milites vivum cum metu venerati erant, ejus etiam diademati solio, annulo honorem aliquem deferunt, nempe populus stupet in titulis & imaginibus Horat. l.1. Sat.6. Apud Curt. l.10. Perdiccas iisdem Imperii insignibus in medio positis, gratiam sibi auctoritatemq; conciliat. Ita cum M. Antonius Cæsarem cæsum publicè de more laudâsset, cruentam insuper tunicam ejus, ferro lacerat am, populo ostendit, qva visa in furorem hic abiit & parricidas ad mortem popposcit, Plut. in Bruto.

10. Nimia felicitas & superbiam plerumq; parit & ferociam. Milites veterani Alexandri, in qvibus ætate minimus sexagenarius erat, tanti Regis signa secuti, tot

tot victoriis illustres orbis domitores, ab ejus morte Ducum omnium imperia fastu intolerabili sibiq; ipsis exitiali recusabant. Non aliter Prætoriani milites apud Romanos eò tandem insolentiæ processerunt, ut Imperatores libero suo arbitrio elegerint, occiderint. Ita & Imperii Turcici robur Janitzaros Sultanus timet timentes.

11. Qualis Vir, talis Oratio. Virum fortem non decet mollis & effœminata Oratio, etiam in ultima rerum omnium desperatione. Virtus immota est, inconcussa, sic contra casus indurata, ut ne inclinari quidem, nedum vinci possit. Sen. c. 5. Lib. In Sapientem non cadit injuria. Eumeni verè fuit θυμὸς ἐλεύθερος, lingua libera, quem cùm Antigonus ad se, ut superiorem venire jussisset, respondit ille, neminem, dum gladii compos sum, me censeo superiorem, Plut. in Eum. Germanorum Legati ab Alexandro M. interrogati, quid in humanis rebus maximè extimescerent, responderunt, illud inprimis se timere, ne cœlum ruat. Suppl. in Curt. l. 2. Porus In-

diæ Rex à Rege Alexandro captus & interrogatus: quid victorem in se statuere debere censeret, quod hic, inquit, dies tibi suadet, quo expertus es, quam caduca sit felicitas. Curt. l. 8.

12. Perjurio militum tot gentium Ducumq; victor victus, non hostium virtute, sed nefando suorum scelere perit Eumenes. In ultima sua ad milites Oratione, manum catenis opertam protendens, cernite, inquit, milites habitū & ornamenta Ducis vestri, quæ non hostiū quisquam imposuit. Vos me ex Victore victum, ex Imperatore captivum fecistis, hinc rogat, ut ipsi se interimant, aut poscenti ferrum præbeant, vim sibi illaturo; quibus negatis, has, inquit, vobis diras atq; inferias dico, ut inopes extorresq; omne ævum in castrensi hoc exilio agatis devorentq; vos arma vestra, Just. l. 14. Et quidem ipse Antigonus hanc militum perfidiam exosus, eos Ibyrtio, Arachosiæ Præfecto, tradidit ita atterendos conficiendosq;, ne quis eorum in Macedoniam rediret. Plut. in Eum. Scilicet, quàm chara proditio, tam

tàm invisus est proditor, neq; scelerum vindex DEUS ulla relinquit perjuria impunita.

Eumenes.

FAma floruit Eumenes,
Qui virtute sua, non meritis Avûm
Clarus, consilio bonus
Ac dextra placuit Regibus inclytis
Florentem Macetûm, neci
Magno Rege dato, bella gerit, comes
Perdicca, neq; deserit
Desertum, superans Antipatri graves
Crateriq; manus, manu
Parva atq; invalida, fretaq; Olympias
Regnum reppetit, hoc Duce,
At Parentûm odio flagra tyrannico
Ritu dum qvatit, interit.
Hinc sese Antigono, propositi tenax,
Opponit, reprimens dolo
Vastos par minimè viribus, impetus.
At qvid? per scelus injicit
Perjurus Macedo vincla suo Duci,
Victori toties Duci,
Vinctumq; Antigono tradit, ita Eumenes

Telis tutus ab hostibus,
Neqvam perfidia militis occidit.

PHOCION.

PHOCION Athenienſis etſi ſæpè exercitibus præfuit, ſummosqve magiſtratus cepit, tamen multò ejus notior integritas eſt vitæ, qvam rei militaris labor. Itaq; hujus memoria eſt nulla, illius autem magna fama: ex qvo cognomine Bonus eſt appellatus. Fuit enim perpetuò pauper, cùm divitiſſimus eſſe poſſet, propter freqventes delatos honores, poteſtatesqve ſummas, qvæ ei à populo mandabantur. Hic cum à rege Philippo munera magnæ pecuniæ repudiaret, legatiq; hortarentur accipere, ſimulqve admonerent, ſi ipſe his facilè careret, liberis tamen ſuis proſpiceret, qvibus difficile eſſet in ſumma paupertate tantam paternam tueri gloriam: His ille, ſi mei ſimiles erunt, idem hic, inqvit, agellus illos alet, qvi me ad hanc dignitatem perduxit: ſin diſſimiles ſunt futuri: nolo meis impenſis illorum ali, augeriqve luxuriam.

11. Eidem cùm propè ad annum octogeſimum

mum prospera permansisset fortuna, extremis temporibus magnum in odium pervenit suorum civium. Primò cum Demade de urbe tradenda Antipatro, consenserat: ejusqve consilio Demosthenes cum cæteris, qvi benè de repub. mereri existimabantur, plebiscito in exilium erant pulsi. Neqve in eo solùm offenderat, qvod patriæ malè consuluerat, sed etiam qvod amicitiæ fidem non præstiterat. namq; auctus, adjutusqve à Demosthene, eum, qvem tenebat, ascenderat gradum, cùm adversus Charetem eum subornaret: ab eodem in judiciis, cùm capitis causam diceret, defensus, aliqvoties liberatus discesserat, hunc non solùm in periculis non defendit, sed etiam prodidit. Concidit autem maximè uno crimine, qvia cùm apud eum summum esset imperium populi, & Nicanorē Cassandri præfectum insidiari Piræo Athenienſium à Dercyllo moneretur: idemqve postularet, ut provideret, ne commeatibus civitas privaretur: hinc, audiente populo, Phocion negavit esse periculum seq;

ejus rei obsidem fore pollicitus est, neqve ita multo post Nicanor Piræeo est potitus, ad qvem recuperandum cùm populus armatus concurrisset: ille non modò neminem ad arma vocavit, sed ne armatis qvidem præesse voluit, sine qvo Athenæ omnino esse non possunt. Erant eo tempore Athenis duæ factiones: qvarum una populi causam agebat, altera optimatium. in hac erat Phocion & Demetrius Phalereus. harum utraqve Macedonum patrociniis nitebatur. nam populares Polyperchonti favebant: optimates cum Cassandro sentiebant. Interim à Polyperchonte Cassander Macedonia pulsus est: qvo facto populus superior factus, statim duces adversariæ factionis capitis damnatos patria pepulit: in his Phocionem & Demetrium Phalereum: deqve ea re legatos ad Polyperchontem misit, qvi ab eo peterent, ut sua decreta confirmaret. huc eodem profectus est & Phocion, qvò ut venit, causam apud Philippum regem verbo, re ipsa qvidem apud Polyperchontem jussus est dicere.

nam-

namqve is tum regis rebus præerat. Hic cùm ab Agnonide accùsatus esset, qvòd Pyræeum Nicanori prodidisset: ex consilii sententia in custodiam conjectus, Athenas deductus est, ut ibi de eo legibus fieret judicium. Huc ubi perventum est, cùm propter ætatem pedibus jam non valeret, vehiculoqve portaretur; magni concursus sunt facti: cùm alii reminiscentes veteris famæ, ætatis misererentur: plurimi verò iræ exacuerentur, propter proditionis suspicionem Piræei: maximeqve, qvòd adversus populi commoda in senectute steterat. Qva de re ne perorandi qvidem ei data est facultas, & dicendi causam. Inde judicio legitimis qvibusdam confectis damnatus, traditus est undecim viris, qvibus ad supplicium more Athenienſium publicè damnati tradi solent. Hic cùm ad mortem duceretur, obvius ei fuit Emphyletus; qvo familiariter fuerat usus. Is cùm lachrymans dixisset, ô qvam indigna perpeteris Phocion: huic ille, at non inopinata, inqvit. hunc enim exitum pleriqve

clari viri habuerunt Athenienſes. In hoc tantùm fuit odium multitudinis, ut nemo auſus ſit eum liber ſepelire, Itaq; à ſervis ſepultus eſt.

PHOCION.

Axiomata.

1. *Integer vitæ ſceleriſq; purus Phocion moribus Boni eſt nomen meritus. Seneca ep. 42, Virum bonum duplicem facit, Primæ & Secundæ notæ. Hunc dixiſſe videtur, qui minimè malus: nam vitiis nemo ſine naſcitur, optimus ille eſt, qui minimis urgetur; Illum, qui in omni Virtutum genere excellit, eximiè bonus & hic fortaſſe, tanqvam Phœnix ſemel anno qvingenteſimo naſcitur. Uxor Phocionis, cùm hoſpes Jonica elegantem ei monſtraſſet ornatum, armillas & monilia, at mihi, ajebat, alius mundus eſt, nempe Phocion vigeſimum jam annum Dux Athenienſium.*

*. *Magnus eſt, qui magna deſpicit, vel ut Seneca effert, nihil magnum in rebus humanis eſt, niſi animus magna deſpiciens. Horat. od. 2. l. 2. ſarm.*

Latius regnes &c. Regio

Regio itaq; animo fuit Phocion, qui regia munera oculo spectavit irretorto: nam cum Alexander M. centum ei talenta misisset, quæsivit ex ministris, qua caussa in tot Athenienſibus tantum munus ſibi ſoli mitteret, reſponderunt illi eo, quod te unum Virum bonum exiſtimet, reposuit ipſe, permittat igitur, ut talis & habear & ſim. Eosdem ut domum duxit, uxorem pinſentem offenderunt, ipſe verò aqua ex puteo hauſta pedes lavit, tùm illi ſtomachati, indignum eſſe dixerunt Regis Amicum tùm inopem vitam colere; ille verò prætereuntem videns ſenem quendam in obſoleta lana, rogavit, num eo ſe putarent deteriorem, bona verba, inquiunt illi; at ille, inquit, ex re minore vivit & contentus eſt, remiſit itaq; munera; ne verò Regis munificentiam aſpernari videretur, ab eodem petiit, ut captivos aliquot liberos dimitteret. Ita Harpalus ex Aſia profugiens ſeptingenta ei talenta obtulit, ſed & hic arcem oppugnavit auro undiq; inexpugnabilem. Antipater Rex dicere ſolitus eſt, duos ſibi eſſe amicos Athenis,

Phocionem & Demadem, quorum alter induci non posset, ut quicquam caperet, alter non impleri. Plut. in Phoc.

3. *Parentes, qui in opibus, quo jure quaq; injuria corradendis toti, liberorum educationem negligunt, Megarensibus non sunt absimiles, qui porcorum majorem, quàm liberorum curam habebant.* Πλοῦτος δὲ κακίας ὑπηρέτης, *opulentia ministra malitiæ est. Isocr. ad Demon.* Χρυσὸς κακῶν ἀρχηγός, *malorum Dux aurum, Phocylides. Jam verò labore suo maximo alienam alere luxuriam & liberis lascivientibus vitiorum nutrimenta ministrare quis expetat, quis probet? Vivitur parvo benè, Horat. od. 16. l. 2.*

Premant Calena falce, quibus dedit
Fortuna vitem —
— *me pascant olivæ*
Me cichorea levesq; malvæ.

Id. od. 31. l. 1.

4. *Optimis etiam Viris non defuere, qui vitam eorum famamq; arroserunt. Proditionis crimen per calumniam Phocioni esse impactum certum est: neq; enim veri-*

verisimile est senem capularem, tàm strenuum omni vita opum & honoris contemptorem, tanto se polluisse crimine. In eo quidem peccâsse videtur, quod ex suo de alieno judicans ingenio Nicanori Amico nimium credidit, neq; ætatis vacatione usus, furenti populo cessit & ab omni se factione segregavit, illud tamen simplici imprudentiæ, hoc generosæ magnanimitati adscribendum videtur. Ut Romæ, ita Athenis duæ fuere Factiones, Optimatum una, altera Popularium, illi causse bonitate nitebantur, hi populi gratia ac potentia, interdum autem plus potest, qui plus valet, quod dicitur:

— — — pisces ut sæpe minutos
Magnu' comest, ut aves enecat accipiter.

Catoni objectum est, quod ita sententiam diceret, quasi in Republ. Platonis, non fece Romuli versaretur. Plato ipse dicebat eam sibi caussam fuisse non attingendæ Reip. quod populum Atheniensem jam desipientem senectute, nec persvadendo, nec cogendo regi posse vidisset, quodq; eum persvaderi diffideret & cogi fas

fas esse non arbitraretur Cic. c. 9. l. 1. ad Famil. Phocion igitur austeris homo moribus rigidaq; fronte, quem, ut ait Plutarchus, nemo facilè flentem vidit aut ridentem, multitudini placere haut potuit. Et quidem, nunqvam volui populo placere, inqvit Epicurus apud Sen. c. 29. nam quæ ego scio, non probat populus, quæ populus probat, ego nescio.

5. Verè Cicer. in Læl. dispares mores disparia studia sequuntur, qvorum dissimilitudo dissociat amicitias: cùm itaq; Phocion plebis gratiam contemserit, qvam captâsse constat Demosthenem, cum ille pacis colendæ auctor fuerit, hic ad arma cessantes concitârit, ille contemtor munerum, hic δωροφάγος, ille in oratione restrictus ac nervosus, hic verbosior ac dulcior, unde hic illum κοπίδα λόγων, rationum suarum securim dixit, minimè mirum est, si minus fidam coluerint Amicitiam. Cùm Demosthenes aliqvando dixisset: interficiet te Populus Athenienfis, si furere cœperit, respondit Phocion, & te, si sapere.

6. Δευό-

6. Δεινόν τι πλῆθος Eurip. horrendares multitudo, quæ furore inflammata juris & æqui lineas liberrima transit. Demosthenes Urbe pulsus porrectis ad Arcem manibus dixisse dicitur: Quid bestiis tribus delectaris teterrimis, Minerva, noctua, dracone, populo, Plut. in Demost.

7. Præmia Integritatis suæ tulit Phocion carcerem & cicutam. Cum eo & alii Amici occisi sunt, qvi cùm lamentantes ad mortem irent, ipsius omnes animum constantem & imperterritum admirati sunt. Filio suo Phoco renunciari jussit ut hujus injuriæ qvàm celerrimè obliviscereturcumq; bibissent cæteri & venenum deficeret, & carnifex negaret se id daturum nisi numeratis ante duodecim drachmis, accersito Amico ait: neq; gratis mori licet Athenis petitq;, ut carnifici illud æris numeraret. Populum saniorem judicii sui paullò pòst pœnituit, ideoq; statuam ex ære ei posuit, ossa publicè extulit & Agonidem, accusatorem ejus capitis damnatum, necavit. Ita ferò plerumq; sapimus & tum demum bona

bona nostra intelligimus, cum ea quæ in potestate habuimus, amisimus.

Phocion.

INops Philippi dona Regis Phocion
Temnit, Nomine, Re Bonus;
At Optimatum fautor optimus Virûm
Plebejis odiis perit;
Atrox ut hostis patriæq; proditor
(O quàm vitrea gratia
Vulgi faventis!) vinculis addicitur
Vir princeps, senio gravis,
Et tùm cicutam jussus impigrè bibit,
Duram non fugiens necem:
Tot, ait, Athenis principes mortem viri
Sunt passi, morior libens.

TIMOLEON.

TIMOLEON Corinthius, sine dubio magnus omnium judicio hic vir existit. namq; huic uni contigit, qvòd nescio an ulli, ut patriam, in qva erat natus, oppressam à tyranno liberaret, & à Syracusis, qvibus auxilio erat missus, inveteratam servitutem depelleret: totamqve Siciliam multos annos bello

bello vexatam, à barbarisqve oppressam, suo adventu in pristinum restitueret. Sed in his rebus non simplici fortuna conflictatus est, & id qvod difficilius putatur, multò sapientius tulit secundam, qvàm adversam fortunam. Nam cùm frater ejus Timophanes, dux à Corinthiis delectus, tyrannidem per milites mercenarios occupasset, participesqve regni posset esse: tantùm abfuit à societate sceleris, ut antetulerit suorum civium libertatem fratris saluti & patriæ legibus obtemperare satius duxerit, qvàm imperare patriæ. Hac mente per haruspicem, communemq; affinem, cui soror ex eisdem parentibus nata, nupta erat, fratrem tyrannum interficiendum curavit. Ipse non modò manus non attulit, sed ne aspicere qvidem fraternum sangvinem voluit. nam dum res conficeretur, procul in præsidio fuit, ne qvis satelles posset succurrere. Hoc præclarissimum ejus facinus non pari modo probatum est ab omnibus. nonnulli enim læsam ab eo pietatem putabant, & invidia laudem virtu-

virtutis obterebant. Mater verò post id factum neqve domum ad se filium admisit, neqve aspexit, qvin eum fratricidam, impiumqve detestans compellaret. Qvibus verbis adeò ille est commotus, ut nonnunqvam vitæ finem facere voluerit, atqve ex ingratorum hominum conspectu morte decedere. Interim Dione Syracusis interfecto, Dionysius rursus Syracusarum potitus est: cujus adversarii opem à Corinthiis petiverunt: ducemqve, qvo in bello uterentur, postularunt. Huc Timoleon missus incredibili felicitate Dionysium tota Sicilia depulit; cùm interficere posset, noluit: tutoqve ut Corinthum perveniret, effecit, qvòd utrorumqve Dionysiorum opibus Corinthii sæpè adjuti fuerant, cujus benignitatis memoriam volebat exstare: & qvòd eam præclaram victoriam ducebat, in qua plus esset clementiæ, qvàm crudelitatis: postremò ut non solùm auribus acciperetur, sed etiam oculis cerneretur: qvem, & ex qvanto regno ad qvam fortunam detrusisset. Post Dionysii decess-

deceſſum cum Iceta bellavit, qvi adverſatus fuerat Dionyſio, qvem non odio tyrannidis diſſenſiſſe, ſed cupiditate, indicio fuit, qvòd ipſe expulſo Dionyſio imperium dimittere noluit. Hoc ſuperato Timoleon maximas copias Carthaginenſium apud Crimeſſum flumen fugavit, ac ſatis habere coegit, ſi liceret Africam obtinere, qvi jam complures annos poſſeſſionem Siciliæ tenebant. Cepit etiam Mamercum, Italicum ducem, hominem bellicoſum, & potentem, qvi tyrannos adjutum in Siciliam venerat. Qvibus rebus confectis cum 3.
propter diuturnitatem belli non ſolùm regiones, ſed etiam urbes deſertas videret, conqviſivit primùm, qvos potuit Siculos: deinde Corintho arceſſivit colonos, qvod ab his initio Syracuſæ erant conditæ. Civibus veteribus ſua teſtituit, novis bello vacuefactas poſſeſſiones diviſit, urbium mœnia disjecta, fanaqve deleta reficit, civitatibus leges libertatemqve reddidit; & maximo bello tantum ocium toti inſulæ conciliavit, ut hic conditor urbium earum,

non

non illi, qvi initio deduxerant, videretur. Arcem Syracusis, qvam munierat Dionysius ad urbem obsidendam, à fundamentis disjecit: cætera tyrannidis propugnacula demolitus est, deditqve operam, ut qvàm minimè multa vestigia servitutis manerent. Cùm tantis esset opibus, ut etiam invitis imperare posset, tantum autem haberet amorem omnium Siculorum, ut nullo recusante regnum obtineret: maluit se diligi, qvàm metui. Itaqve cùm primum potuit, imperium deposuit, & privatus Syracusis, qvod reliqvum vitæ fuit, vixit, neqve verò id imperitè fecit. nam qvòd cæteri reges imperio potuerunt, hic benevolentia tenuit. Nullus honos huic defuit: neqve postea Syracusis res ulla gesta est publica, de qva prius sit decretum, qvàm Timoleontis sententia cognita. Nullius unqvam consilium non modò ante latum, sed ne comparatum qvidem est, neqve id magis benevolentia factum est, qvàm IV. prudentia. Hic cùm ætate jam provectus esset, sine ullo morbo lumina ocu-

oculorum amisit. qvam calamitatem ita moderatè tulit, ut neqve eum qverentem qvisqvam audierit, neqve eo minus privatis, publicisqve rebus interfuerit. veniebat autem in Theatrum, cùm ibi consilium populi haberetur, propter valetudinem vectus jumentis junctis, atqve ita de vehiculo, qvæ videbantur, dicebat; neqve hoc illi qvisqvam tribuebat superbiæ. nihil enim unqvam neqve insolens, neqve gloriosum, ex ore ejus exiit. qvi qvidem, cùm suas laudes audiret prædicari, nunqvam aliud dixit, qvàm se in ea re maximas diis gratias agere, atqve habere, qvod cùm Siciliam recreare constituisset, tum se potissimum ducem esse voluissent. nihil enim rerum humanarum sine deorum numine agi putabat. Itaqve suæ domi sacellum Αὐτοματίας constituerat, idqve sanctissimè colebat. Ad hanc hominis excellentem bonitatem mirabiles accesserunt casus. Nam prælia maxima natali die suo fecit omnia: qvo factum est, ut ejusdem natalem festum haberet universa Sicilia. Huic qvidam

Lame-

Lameſtius, homo petulans, & ingratus vadimonium cùm vellet imponere, qvòd cum illo ſe lege agere diceret, & complures concurriſſent, qvi procacitatem hominis manibus coercere conarentur: Timoleon oravit omnes, ne id facerent. namqve id ut Lameſtio, cæterisqve liceret, ſe maximos labores, ſummaq; adiiſſe pericula. Hanc enim ſpeciem libertatis eſſe, ſi omnibus, qvòd qviſqve vellet, legibus experiri liceret. Idem, cùm qvidam Lameſtii ſimilis, nomine Demænetus in concione populi, de rebus geſtis ejus detrahere cœpiſſet, ac nonnulla inveheretur in Timoleonta; dixit, nunc demum ſe voti eſſe damnatum. namqve hæc à diis immortalibus ſemper precatum, ut talem libertatem reſtitueret Syracuſanis, in qva cuivis liceret, de qvo vellet, impunè dicere. Hic cùm diem ſupremum obiiſſet, publicè à Syracuſanis, in gymnaſio, qvod Timoleontium appellatur, tota celebrante Sicilia ſepultus eſt.

DI

TIMOLEON.

Axiomata.

1. *Utramq; fortunam pulcherrimè ferre, non cujusvis, sed sapientis est, ille*

Rebus angustis animosus atq;
Fortis apparet &c. od. 10. l. 2. Carm.

Ille meminit

Æquam rebus in arduis
Servare mentem, non secus in bonis
Ab insolenti temperatam
Lætitia &c.

Idem od. 3. l. 2. Carm. & quidem multò difficilius est prospera sorte non efferri, quàm adversa non dejici.

Difficile est æqua commoda mente pati.

2. *Amicus Socrates, sed magis amica Veritas, dicebat Aristoteles, Timoleon aliquis dixerit: amicus Frater, sed magis amica salus Patriæ, cujus charitas orbis terrarum divitiis anteponenda. Supra in Epam. Frater huic fuit Timophanes, quem antehac adjutum & masculè defensum, cùm nec monitis à tyrannide avertere, nec minis absterrere posset, trucidari permisit; ipse tamen obvoluto ca-*

pite secessit, nefas ratus fraterna oculos cæde polluere. Notum illud. Sen. in Thyest.

Nefas nocere vel malo Fratri puta: & quidem cum Caligula, Claudio, Nerone, Vitellio cruento ejusmodi spectaculo oculos pascere verè ferinum est. Quid verò dicas de Sultano Turcico, qui insidiarum turbarumq; metuens plerumq; dominatum à cæde auspicatur, suaq; ipsius manu Fratres quandoq; interimit. Huic placere videtur illud Senecæ in Thyest.

— — — pro regno velim
patriam, penates, conjugem flammis dare.

3. Grande supplicium læsa Conscientia, uti læta juge convivium, dicente Sapientum Rege. Illa faces admovit Neroni & Orestæ, Matricidis. Juvenalis verè Sat. 13.

— — — ne tamen hos tu
Evasisse putes, quos diri conscia facti
Mens habet attonitos & surdo verbere cædit,
Occultum quatiente animo tortor flagellum. Timo-

Timoleon totius etiam Civitatis judicio crimine absolutus, stimulos sensit Conscientiæ & aliquot annos, si qua fides habenda Plutarcho, foro ac publicis actionibus abstinuit.

4. *Tyrannorum, quos ex Homero non inepte dixeris δημοβόρους βασιλῆας, populivoros Reges, Malleus fuit Timoleon, qui non patriam tantùm, sed Syracusas etiam tyrannide liberavit, Dionysio, qui Dione interfecto denuò rerum potitus erat, Corinthum redire coacto, idem etiam Icetam cum filio interfecit, Mamercum Italum cepit totamq; Siciliam è Carthaginensium faucibus eripuit, exigua manu numerosas hostium copias profligans. Tyrannicidis aliàs ingentia constituta fuere præmia. Legem antiquam legimus apud Cic. l. 2. de Invent. Qui tyrannum occiderit, Olympionicarum præmium capito. & quam valet sibi rem à Magistratu deposcito, & Magistratus ei concedito. Et pro Mil. Græci homines Deorum honores tribuunt iis viris, qui Tyrannos necarunt.*

5. *Diligi, quàm metui mauult Princeps, si*

bonus est: nam nulla vis Imperii tanta est, quæ premente metu possit esse diuturna ait Cic. 2. Off. Pastor ille cùm sit, diligat gregem, Parens liberos, Tutor pupillos.

8. *Privata vita optima tutissimaq; vita est. Præbet somnos casa securos vigilesq; trahit Purpura noctes inqvit Seneca. Cùm Syracusani Timoleonti, libertatis suæ ac salutis Vindici, prædium donassent, in eo plurimùm ille vixit, neq; nisi ad consilia vocatus, in Urbem concessit. Diocletianus, cætera illaudatus Imperator, Imperio ultrò se abdicavit & Salonis hortos colere, qvàm Romæ regnare maluit. Similis Præfectus militum, cum vacatione ab Adriano Imp. impetrata in agro septennium qvietè exegisset, moriens sepulchro suo jussit inscribi: Similis hic situs est, cujus ætas qvidem multorum annorum fuit, sed septem duntaxat annis vixit. Sen. in Hippol. de ruris amatore:*

Non alia magis est libera & vitio carens
Rituq; melius vita qvæ priscos colat,

Qvàm

Qvàm quæ relictis mœnibus campos
amat:
Non illum avaræ mentis inflammat
furor,
Non ille regno servit aut regno im-
imminet
Spei metusq́ liber &c.

Conf. Votum Lipsii annexum ep. 8. Cent. 1. Epist.

7. *Rara in Principe Virtus Moderatio, rara in Victore Modestia. Timoleon itaq́ magnoperè laudandus, è cujus ore nihil aut insolens unquam, aut gloriosum exiit. Contrà Pharao in Sacris, quis, inquit, DEUS, quem audiam? Nabuchodonosor, hæc illa Babylon magnificentia mea gloriaq́ testis. Nicanor, si quod in cœlis Numen est, in terris ego præsens DEUS. Ex. 5. 2. Dan. 4, 27. 2. Maccab. 15, 5. qui tamen omnes insolentiæ suæ pœnas etiam insolentes pependerunt: uni enim DEO omnis benefactorum debetur gloria.*

8. *Nihil humanarum rerum sine divino Numine agi rectè putavit Timoleon. Per αὐτοματίαν bonam fortunam aut*

eventum fortuitum Interpretes intelligunt. Αὐτόματος *est is, qui sponte quicquam agit,* αὐτόματα *dicuntur, quæ extrinsecus non mota moventur, ut horologia; cùm itaq; pænè supra spes & vota victoriæ in sinum quasi ipsi devolârint & nihil propemodum negotii susceperit, quod eventus ex omni voto non approbârit, successus suos sub hoc nomine ad Deos retulit Timoleon. Aliàs fortuna vulgò omnium votis vocibusq; imploratur. Plin. l. 2. Hist. nat. cap. 7. tota, inquit, mundo & locis omnibus omnibusq; horis omniumq; vocibus Fortuna sola invocatur: sola laudatur, sola arguitur, sola utramq; paginam facit. Homerus verò in Operibus suis Fortunæ vix ullam facit mentionem, sed adversa omnia prosperaq; Deorum iræ aut gratiæ adscribit. Christianus verò ad Fortunam nihil, omnia ad divinam referat Providentiam & Uni DEO cordis sui sacellum consecret.*

9. *Nihil à Calumnia tutum. Ea Miltiadem fortem carceri inclusit, Aristiden justum*

justum exilio mulctavit, Phocioni bono cicutam propinavit. Vid. Oratio Lipsii de Calumnia.

Timoleon.

TImoleon *rara patriam Virtute Corinthum*
Clarat, quippe domi nobilis ac foris.
Non ille horribilem civi Patriæq; tyrannum
Fratrem Timophanem interimi vetat.
At Matri invisus lucem fugit, indeq; jussus
Oppressis miserè fert Siculis opem.
Jura Syracusio reddens liberrima Civi,
Pulsa propitiâ Sorte tyrannide.
Punica vis cedit, cedit Dionysius Urbe
Imò & victa potens Ambitio fugit:
Ducit enim multò majus se vincere Victor
Quàm vel Trinacriam mittere sub jugum.
Civibus hinc charus Lare sub tuto exigit ævum,
Persarumq; viget Rege beatior.
Fastum odit, tribuitq; Deo sua prospera, seq;
Submittit patiens legibus Imperî,
Consultus Siculis, visu qvoq; consulit orbus,
Et summis moritur gratus & infimis.

DE REGIBUS.

HI ferè fuerunt Græciæ gentis duces, qvi memoria digni videantur præter reges. namqve eos attingere noluimus, qvod omnium res gestæ separatim sunt relatæ, neqve tamen hi admodum sunt multi. Lacedæmonius autem Agesilaus nomine, non potestate fuit rex, sicut cæteri Spartani. Ex his verò qvi dominatum imperio tenuerunt, excellentissimi fuerunt (ut nos judicamus) Persarum Cyrus, & Darius, Hydaspis filius: qvorum uterqve privatus, virtute regnum est adeptus. Prior horum apud Massagetas in prælio cecidit. Darius senectute diem obiit supremum. Tres sunt præterea ejusdem generis, Xerxes, & duo Artaxerxes, Macrochir & Mnemon. Xerxi maximè est illustre, qvòd maximis pòst hominum memoriam exercitibus, terra mariqve, bellum intulit Græciæ. At Macrochir præcipuam habet laudem amplissimæ, pulcherrimæqve corporis formæ: qvam incredibili ornavit virtute belli. namq; illo

illo Persarum nemo fuit manu fortior, Mnemon autem justitiæ fama floruit, nam cum matris suæ scelere amisisset uxorem, tantum indulsit dolori, ut eam pietas vinceret. Ex his duo eodem nomine, morbo naturæ debitum reddiderunt; tertius ab Artabano præfecto ferro interfectus est. Ex Macedonum autem genere duo multò cæteros antecesserunt rerum gestarum gloria, Philippus Amyntæ filius, & Alexander Magnus, horum alter Babylone morbo consumptus est. Philippus Ægis à Pausania, cùm spectatum ludos iret, juxta theatrum occisus est. Unus Epirotes Pyrrhus, qui cum populo Rom. bellavit, is cum Argos oppidum oppugnaret in Peloponneso, lapide ictus interiit. Unus item Siculus Dionysius prior, nam & manu fortis, & belli peritus fuit, &, id quod in tyranno non facilè reperitur, minimè libidinosus, non luxuriosus, non avarus, nullius rei denique cupidus, nisi singularis, perpetuique imperii, ob eamq; rem crudelis. nam dum id studuit munire nullius pepercit vitæ,

qvem ejus insidiatorem putaret. Hic cùm virtute tyrannidem sibi peperisset, magna retinuit felicitate, majorqve annis sexaginta natu decessit florente regno. neqve in tam multis annis cujusqvam ex sua stirpe funus vidit, cùm ex tribus uxoribus liberos procreasset, multiqve ei nati essent nepotes. Fuerunt præterea multi reges ex amicis Alexandri Magni, qvi post obitum ejus imperia ceperunt. In his Antigonus, & hujus filius Demetrius, Lysimachus, Seleucus, Ptolomæus. Ex his Antigonus cùm adversus Seleucum, Lysimachumqve dimicaret, in prælio occisus est. Pari leto affectus est Lysimachus à Seleuco. nam societate dissoluta, bellum inter se gesserunt. At Demetrius cùm filiam suam Seleuco in matrimonium dedisset, neqve eo magis fida inter eos amicitia manere potuisset: captus bello, in custodia socer generi periit morbo, neqve ita multo post, Seleucus à Ptolomæo Cerauno dolo interfectus est. qvem ille à patre expulsum Alexandria, alienarum opum indigen-

digentem receperat, Ipse autem Ptolomæus, cùm vivus filio regnum tradidisset, ab illo eodem vita privatus dicitur. De qvibus qvoniam satis dictum putamus, non incommodum videtur nonpræterire Hamilcarem & Hannibalem: qvos & animi magnitudine, & callidítate, omnes in Africa natos præstitisse constat.

REGES.

Axiomata.

1. *Rex multiplex. Alius re, non titulo, uti supra Miltiades in Chersoneso dominatu potitus tyrannus aut Rex appellatus est. Alius titulo, non re, uti Agesilaus, qui Spartæ regnum sine regia majestate obtinuit ab alieno, nempe Ephororum pendens arbitrio. Noster in Agesilao. Alius re & titulo, penes qvem summa in Regno suo & illimitata potestas est. Aliàs & ille,*

— qvi metuit nihil,
Rex est, qviq; cupit nihil.
Hoc regnum sibi qvisq; dat.

Sen in Thyest. Ita Virtus plebi

Dissidet Regnum & Diadema tutum
Deferens uni propriamq; Laurum,
Quisquis ingentes oculo irretorto
Spectat acervos
Horat. od. 2. l. 2. Carm.

2. *Agesilaus Victoriosus dici meretur, quo de supra. Persarum Regi, quem Graci aliàs Regem magnum appellabant, par illè, imò terrori fuit. Videatur elegans Comparatio Persarum Regis & Agesilai apud Xenoph. in Orat. de Ages. Claudicanti initio Cives denegarunt Imperium, cum oraculo cognovissent Remp. suam periclitaturam esse, si Imperium regium claudicâsset, tandem tamen statuerunt satius esse incessu Regem, quàm imperio Regnum claudicare. Dictum ejus celebratur: non viri locis, sed loca viris fiunt honoratiora. Interroganti, cur Sparta nullis cingeretur mœnibus, respondit: hæc Urbis mœnia, eiq; viros armatos monstravit.*

3. *Cyrus, in Sacris Cores, Princeps laudatissimus, primus Persarum Monarcha, Cyrus dictus à sole, quem Persæ Cyrum vocitant, & olim religiosè colebant. Hic*

spreto

spreto Cræsi consilio Scythis bellum intulit, eumq; Massagetarum Regina Tomyris, cum ducentis militum millibus, interfecit & capite in utrem humano sanguine repletum conjecto adjecit: Satiate sanguine, quem sitiisti, Just. l. 1. De eo multa habet Herod. l. 1. Negavit Magistratu dignum esse, qui parente non sit melior. Idem & stirpium semina & hominum mores ad habitum regionis immutari affirmavit. Mollis scil. regio plerumq; generat viros molles & effœminatos.

4. Darius Hystaspis filius hinnitu equi Rex constitutus Babylona astu Zopyri cepit, quem proinde salvum se malle dixit, quàm centum Babylonas capere. Just. l. 1. Semiramidis sepulchrum aperuit, cui inscriptum erat: si quis Regum pecunia egeat, quantum volet, capiat; aperto tumulo, nihil auri invenit, sed in altera saxi parte scriptum legit: nisi vir malus esses & pecunia inexplebilis, mortuorum loculos non violares. Ex quo tempore omnis bona felicitas adversa ipsi fuit.

5. *Xerxes superbus & ignavus, quo de supra in Themist. In Salaminia pugna Artemisia, Halicarnassi Regina, acerrimè pugnat, Rege in littore otioso prælii spectatore atq; ita, uti in viro muliebris timor, ita in muliere virilis audacia apparuit. Just. l. 2.*

6. *Artaxerxes Macrochir aut Longimanus, cum dextram sinistra longiorem haberet, dicere solebat ad largiendum sibi longiorem esse dexteram, sinistram ad accipiendum breviorem, magisq; regium esse addere, quàm detrahere; & certè liberalissimus fuit. Idem instituit, ut si viri principes graviorem essent pœnam promeriti, non corpora eorum, sed vestes, quas exuissent, flagellarentur. Plut. in Apophthegm.*

7. *Artaxerxes ob memoriæ præstantiam Mnemon dictus, Cyrum Fratrem, de quo tàm multa & præclara refert Xenophon, Ditionibus paterno Testamento legatis non contentum, aureis compedibus vinxit; precibus autem Matris, cui nomen erat Parysatis, victus, eundem dimisit incolumem; qui paullò*

post

pòst palàm bellum ei fecit, in quo cecidit Iust. l. 5. quàm rara est gratia Fratrum.

8. Philippo Rege Regnum Macedoniæ finitimis grave fuit ac formidabile. Amicitias ille non fide, sed utilitate coluit, neq; ullam vincendi rationem turpem duxit. Arcem negavit esse inexpugnabilem, qvam asinus auro onustus ascendere posset, ipsam Pythiam Delphis corrupuisse dictus est, unde Demosthenes Pythiam φιλιππίζειν affirmavit. Mortalitatis suæ se admoneri qvotidiè voluit à Cubiculario inclamante: φίλιππε, μέμνησο, ὡς ἄνθρωπος ὤν. A Pausania occisus est, eo qvod injuriam ab Attalo illatam non vindicasset.

9. Alexander Rex magnus Virtutibus ac major pæne vitiis. Certè Princeps felicissimus, qvippe qvi fortunam solus omnium mortalium in potestate habuit Curt. l. 10. at multò fuisset felicior, si vicisset superbiam atq; iram, mala invicta Idem l. 3. In judicio Accusatori unam dedit, alteram Reo reservavit aurem. Dicere solebat: Regium est, cum benefe-

benefeceris, malè audire. Item nihil servile magis, quàm indulgere deliciis, nihil magis regium, quàm labores suscipere. Iliada cum pugione sub pulvino repositam semper habuit. De eo multa habent Plutarchus & Curtius, ille febri ex intemperantia contracta decessisse, hic veneno necatum esse autumat. Rectè Seneca ep. 71. laudat Victorem, qui non Persas aut extrema Medorum vicit, sed avaritiam, sed ambitionem &c. Morum dissimilitudinem in Philippo & Alexandro vide apud Just. l. 9.

10. Pyrrhus Dux belli clarissimus, ad quem Annibal in Arte militari primas ab Alexandro M. detulit Liv. Dec. 8. l. 5. Tarentinis adversus Romanos opem tulit, quorum Virtute repulsus, Spartam oppugnavit à fœminis senibusq; masculè defensam, hinc Argos concessit, his eùm à milite quodam vulneratus, in eum se convertisset, Mater militis, anus pauperscula, de salute filii anxia tegulam ambabus manibus tollens, in caput Pyrrhi de tecto libravit, hinc equo

lapsus

lapsus est eiq; miles Antigoni caput abscidit. Tanti Rex nominis tàm imbelli manu cecidit.

11. Dionysius Major Siciliæ Tyrannus non in homines tantùm crudelis, sed in Deos etiam impius fuit, ut qui Jovi Olympio aureum amiculum magni ponderis detraxit & laneum dedit, illud, inquiens, æstate grave, hyeme frigidum esse. Ita & Æsculapio auream barbam demi jussit, non convenire, inquiens, Apollinem Patrem imberbem & Filium barbatum conspici Val. Max. l. 1. c. 1. quæ & alia scelera DEUS in filio Dionysio Min. vindicavit, bis regno pulso adeoq; ad incitas redacto, ut Corinthi pueros in triviis doceret inq; macello oberrans oculis, quod emere non posset, devoraret, ut loquitur Just. l. 21.

12. Nulla Pax certa aut Amicitia satis fida inter Imperii æmulos. Regnum insociabile est, inquit Curtius.

Rivalem possum non ego ferre Jovem ait Amator; quem socium ferat Principatus? Certè Alexandro M. qui successere Reges, mutuis cædibus ac laniena

nienis consumpti omnes perierunt non sine ingenti Parentium malo: Regum enim deliria, quod dicitur, luunt Achivi.

Reges.

Nobilium famaq; & factis nomina Regum
Historicus donat Vitâ stylus immortali.
Primo inter Persas Cyro *dedit inclyta Virtus*
Sceptris potiri regiis.
Illum ausum bello Scythicas invadere gentes,
Audax peremit Tomyris,
Filius Histaspis Darius *prospera gestat*
Fortuna varia Sceptra manu, dum moritur Senex.
Oppugnat fatuus, tumidus timidusq; Pelasgos.
Terra mariq; maxima Xerxes *manu*
Et fugit. Artabani paullò post sanguine ferrum,
Contemtus hosti, tingit invisus Suis.
At Artaxerxes Macrochir *forti manu*
Formaq; laude præstitit,

Ut

Vt justi & æqui claruit Mnemon *memor,*
Et utercq; morbo est mortuus.
Majores pennas nido extendére Philippus,
Rex fraudulentus, filiusq; Alexander
Qui major rebus gestis, quam nomine Famam
Scelerum inquinavit sordidissimo cœno.
Romano populo Pyrrhus *gravis Epirota*
Pugnans ad Argos, ictus interit saxo.
Nec te fama silet Dionysi Major, *obisti*
Felix tyrannus & senex tuo fato.
Magnus Alexander moriens Babylone, ministris
Rixas & arma legat, expers Liberûm
Nam, dum quisq; novum captat Diadema, ruentes
In arma sese lancinant, vorant, necant.

HAMILCAR.

HAMILCAR Hannibalis Parens, cognomine Barcas, Carthaginensis, primo Punico Bello, sed temporibus extremis, admodum adolescentulus in Sicilia præesse cæpit exercitui. Cùm ante ejus adventum & mari & terra malè

malè res gererentur Carthaginenſium ipſe ubi affuit, nunqvam hoſti ceſſit, neqve locum nocendi dedit: ſæpeqve è contrario hoſtem occaſione data laceſſivit, ſemperqve ſuperior diſceſſit. qvo facto cum pœnè omnia in Sicilia Pœni amiſiſſent, ille Erycem ſic defendit, ut, bellum eo loco geſtum non videretur. Interim Carthaginenſes claſſe apud inſulas Ægates à C. Lutatio Conſule Romanorum ſuperati, ſtatuerunt belli finem facere, eamqve rem arbitrio permiſerunt Hamilcaris. Ille etſi flagrabat bellandi cupiditate, tamen paci ſerviendum putavit, qvòd patriam exhauſtam ſumptibus, diutius calamitatem belli ferre non poſſe intelligebat: ſed ita, ut ſtatim mente agitaret, ſi paullùm modo res eſſent refectæ, bellum renovare, Romanosqve armis perſeqvi, donec aut virtute viciſſent, aut victi manum dediſſent. Hoc conſilio pacem conciliavit: in qva tanta fuit ferocia, ut, cùm Catulus negaret ſe bellum compoſiturum, niſi ille cum ſuis, qvi Erycem tenuerant, armis relictis, Sicilia decederent:

rent: ſuccumbente patria, ipſe perituruṁ ſe potius dixerit, qvam cum tanto flagitio domum rediret: non enim ſuæ virtutis, arma à patria accepta adverſus hoſtes, adverſariis tradere. Hujus pertinaciæ ceſſit Catulus. At ille, ut Carthaginem venit, multò aliter, ac ſperabat, rempubl. ſe habentem cognovit. namqve diuturnitate externi mali tantum exarſit inteſtinum bellum, ut nunqvam pari in periculo fuerit Carthago, niſi cùm deleta eſt. Primò mercenarii milites, qvi adverſus Romanos fuerant, deſciverunt: qvorum numerus erat viginti millium, hi totam abalienarunt Africam, ipſam Carthaginem oppugnârunt. Qvibus malis adeò ſunt Pœni perterriti, ut auxilia etiam à Romanis petiverint, eaqve impetrarint. Sed extremo, cùm propriè jam ad deſperationem perveniſſent, Hamilcarem imperatorem fecerunt. Is non ſolùm hoſtes à muris Carthaginis removit, cùm amplius centum millia facta eſſent armatorum, ſed etiam eò compulit, ut locorum anguſtiis clauſi, plures fame, qvam ferro,

ro, interirent, omnia oppida alienata, in his Uticam, atqve Hipponem, valentiſſima totius Africæ, reſtituit patriæ. neqve eo fuit contentus, ſed etiam fines imperii propagavit, tota Africa tantum otium reddidit, ut nullum in ea bellum videretur multis annis fuiſſe. Rebus his ex ſententia peractis, fidenti animo atq; infeſto Romanis, qvo facilius cauſam bellandi reperiret, efficit, ut imperator cum exercitu Hiſpaniam mitteretur, eoqve ſecum duxit filium Hannibalem, annorum novem. Erat præterea cum eo adoleſcens illuſtris, & formoſus Haſdrubal, qvem nonnulli diligiturpius ab Hamilcare, loqvebantur. non enim maledici tanto viro deeſſe poterant, qvo factum eſt, ut à præfecto morum Haſdrubal cum eo vetaretur eſſe. Huic ille filiam ſuam in matrimonium dedit, quòd moribus eorum non poterat interdici ſocero gener. De hoc ideò mentionem fecimus, qvod Hamilcare occiſo ille exercitui præfuit, resqve magnas geſſit: & Princeps largitione vetuſtos pervertit mores Carthaginenſium: ejus-

ejusdemq́ve post mortem Hannibal ab exercitu accepit imperium. At Hamilcar posteaqvam mare transiit, in Hispaniamq́ve venit, magnas res secunda gessit fortuna: maximas, bellicosissimasq́ve gentes subegit: eqvis, armis, viris, pecunia, totam locupletavit Africam. Hic cùm in Italiam bellum inferre meditaretur, nono anno postqvam in Hispaniam venerat, in prælio pugnans adversus Vectones occisus est. Hujus perpetuum odium erga Romanos maximè concitasse videtur secundnm bellum Punicum. Namqve Hannibal, filius ejus, assiduis patris obtestationibus eò est perductus, ut interire, qvàm non Romanos experiri, mallet.

HAMILCAR.

Axiomata.

1. *Cordati Ducis præsentia magnum ad maximas res gerendas momentum habet. Apud Curtium. Craterus ad Alex. l. 9. Qvantalibet vis omnium gentium conspiret in nos, impleat armis*

virisq́

virisq; totum orbem, classibus maria consternat, inusitatas belluas inducat, tu nos præstabis invictos. Teucer apud Horat. od. 7. l. 1.

Nil desperandum Teucro Duce & auspice Teucro.

2. *Pax, utriq; depugnantium parti salutaris, studiosè quærenda, eamq; si Victi petant, veniam; si Victores concedant, gloriam laudemq; promerentur.* Cic. pro M. Marc. *In bello semper de pace agendum audiendumq; putavi, semperq; dolui, non modò pacem, sed orationem etiam civium pacem efflagitantium repudiari.*

3. *Inter Bonos benè agier oportet.* Fide non bona egit Amilcar, qui necessitate coactus pacis consilia ore approbavit & animo hostili belli renovandi studium retinuit.

4. *Perire militem satiùs est, quàm cum flagitio domum redire.* Nihil infame magis militi, quàm arma abjicere, aut hosti tradere, quod & Germanos pro capitali habuisse crimine patet ex Tac. de mor. Germ. Pyrrhus victor, Roma-

no rum,

norum, qui in prælio occubuerant, mirato est omnium in manibus enses & relictas in vultibus minas Fl. l. 1. c. 18. Ita Lacæna quædam filio in bellum eunti scutum porrigens, adjecit: Hoc Pater tuus semper servavit, aut idem fac aut peri, Plut. in Ap. Lacon. Utinam Musarum etiam castra secuti Adolescentes, quidvis facere ac pati mallent, quàm cum mala fama ad patrios reverti penates, Parentum sæpe dedecora & carcinomata. Utinam Homericum illud perpenderent:

Αἰσχρόν τοι δηρόν τε μένειν κενεόν τε νέεσθαι

Turpe manere diu vacuumq; reverti.

Non Hierosolymis, aut Athenis fuisse, sed benè vixisse laudandum est.

— Sapienti sat dictum.

5. Intestina dissidia, bella, factiones Rebus-publ. mala pestifera & exitialia. Immani id malo suo didicit Carthago, experta Roma est; imprimis externis nisi viribus & exercitui conductitio salutem committere publicam, periculosum est.

Ita cùm Carthaginenſes, ærario bello cum Romanis geſto exhauſto, militibus mercenariis ſtipendium illicò non ſolvunt, ſeditionem hi movent atrociſſimam, neq; ullis Legationibus aut conditionibus placari poſſunt, Geſconem aliosq; Caduceatores ad ſe miſſos dant catenis & paullò pòſt productis præcidunt manus, mutilatis crura ſuffringunt & ſpirantes adhuc in foſſam conjiciunt, Furentium vox erat: Feri, quo audito omnes ſimul feriebant, ita ut effugere, qui acceſſerant, nulla ratione poſſent. At Amilcar partim bello, partim fame, qua multos ſemetipſos devorare coëgit, eosdem ſubegit, Ducibus per cruciatum necatis. Hic exitus rebelles ac perduelles manet. Vid. Polyb. l. 1. & ex eo Cl. Kirchmajerus in Notis.

6. *Ambitio & Φιλαρχία inquieta vitia. Pœni bello cùm externo, tum inteſtino Imperium pænè amiſerant, & quietis impatientes, novas acceſſiones in Hiſpania, Duce Amilcare, bello quærunt.*

7. *In audaces non eſt audacia tuta, verè ait Venus Adonidi ſuo apud Ovid. l. 10. Met-*

Metam. f.10. Amilcar mira Vir audacia, collatis signis cum hostibus ferocissimis, in mediam se infert dimicationem & occumbit.

Hamilcar.

VIctori Catulo renuit bellator Hamilcar,
Summis par Ducibus, cedere pertinax.
Inde peregrinus miles terrore metuq;
Horrendo Patriæ mœnia dum qvatit.
Exitium avertit Carthagine Victor, & armis,
Invadit famulam Martis Iberiam.
Hic nova dum Romæ meditatur bella, parato
Pugnans Dux animo, fortiter occidit.

HANNIBAL.

HANNIBAL Hamilcaris filius Carthaginensis. Si verum est, qvod nemo dubitat, ut populus Romanus omnes gentes virtute superarit, non est inficiandum, Hannibalem tanto præstitisse cæteros imperatores prudentia, qvanto populus Romanus antecedat

fortitudine cunctas nationes. nam qvotiescunqve cum eo congressus est in Italia, semper discesit superior, qvòd nisi domi civium suorum invidia debilitatus esset, Romanos videtur superare potuisse. sed multorum obtrectatio devicit unius virtutem. Hic autem velut hæreditate relictum odium paternum erga Romanos sic confirmavit, ut prius animam, qvàm id, deposuerit: qvi qvidem cùm patria pulsus esset, & alienarum opum indigeret, nunqvam destiterit animo bellare cum
11. Romanis. nam ut omittam Philippum, qvem absens hostem reddidit Romanis: omnium his temporibus potissimus rex Antiochus fuit. hunc tanta cupiditate incendit bellandi, ut usqve à rubro mari arma conatus sit inferre Italiæ, ad qvem cùm legati veniissent Romani, qvi de ejus voluntate explorarent, darentqve operam consiliis clandestinis, ut Hannibalem in suspicionem regi adducerent, tanqvam ab ipsis corruptum, alia, atqve antea, sentire: neqve id frustra fecissent, idqve Hannibal compe-

perisset

perisset, seq; ab interioribus consiliis segregari vidisset: tempore dato adit regem, eiq; cum multa de fide sua, & odio in Romanos commemorasset, hoc adjunxit: pater, inqvit, meus Hamilcar puerulo utpote non amplius novem annos nato, in Hispaniam imperator proficiscens Carthagine Jovi optimo maximo hostias immolavit. qvæ divina res dum conficiebatur, qvæsivit à me, vellem ne secùm in castra proficisci: id cùm libenter accepissem, atqve ab eo petere cœpissem, ne dubitaret ducere: tum ille, faciam, inqvit, si fidem mihi, qvam postulo, dederis, simulqve ad aram adduxit, apud qvam sacrificare instituerat: eamqve, cæteris remotis, tenentem, jurare jussit, nunqvam me in amicitia cum Romanis fore. Id ego jusjurandum patri datum usqve ad hanc diem ita servavi, ut nemini dubium esse debeat, qvin reliqvo tempore eadem mente sim futurus. qvare si qvid amicè de Romanis cogitabis, non imprudenter feceris, si me celaris. cùm qvidem bellum parabis, te ipsum fru-

straberis, si non me in eo principem posueris. Hac igitur ætate cum patre in Hispaniam profectus est, cujus post obitum Hasdrubale imperatore suffecto, equitatui omni præfuit. hoc quoque interfecto, exercitus summam imperii ad eum detulit in Carthaginem delatum, publicè comprobatum est. Sic Hannibal minor quinque & viginti annis natu, imperator factus proximo triennio omnes gentes Hispaniæ bello subegit, Saguntum, fœderatam civitatem, vi expugnavit, tres exercitus maximos comparavit. Ex his unum in Africam misit, alterum cum Hasdrubale fratre in Hispania reliqvit. Tertium in Italiam secum duxit, saltum Pyrenæum transiit, qvacunqve iter fecit, cum omnibus incolis conflixit, neminem, nisi victum, dimisit. Ad alpeis postea qvam venit, qvæ Italiam ab Gallia sejungunt, qvas nemo unqvam cum exercitu ante eum, præter Herculem Grajum, transierat: qvo facto is hodiè saltus Grajus appellatur: Alpicos conanteis prohibere transitum concidit, loca patefe-

patefecit, itinera munîit, effecitq;, ut ea elephantus oneratus ire posset, qvã antea unus homo inermis vix poterat repere. has copias traduxit, in Italiamqve pervenit. Conflixerat apud Rhodanum cum P. Cornelio Scipione Consule, eumqve pepulerat. Cum hoc eodem de Clastidio apud Padum decernit: sauciumq; inde ac fugatum dimittit. Tertiò idem Scipio cum collega Tiberio Longo ad Trebiam adversus eum venit, cum his manum conseruit: utrumqve profligavit. inde per Ligures Apenninum transit, petens Etruriam. hoc itinere adeò gravi morbo afficitur oculorum, ut postea nunqvam dextero æqvè benè usus sit. qva valetudine cùm etiam tùm premeretur, lecticaqve ferretur, C. Flaminium Consulem apud Trasimenum cum exercitu insidiis circumventum occidit. neqve multo post C. Centenium, prætorem, cum delecta manu saltus occupantem, hinc in Apuliam pervenit. Ibi obviam ei venerunt duo Consules, C. Terentius Varro & L. Paulus Æmilius. Utriusqve exercitus

tus uno prælio fugavit. L. Paulum consulem occidit, & aliqvot præterea consulares. In his Cn. Servilium Geminum, qvi anno superiore fuerat consul. Hac pugna pugnata, Romam profectus est nullo resistente, in propinqvis urbis montibus moratus est. Cùm aliqvot ibi dies castra habuisset, & reverteretur Capuam: Qvint. Fabius Maximus dictator Rom. in agro Falerno se ei objecit. Hinc clausis locorum angustiis, nocte sine ullo detrimento exercitus se expedivit. Fabio callidissimo imperatori dedit verba, namqve obducta nocte sarmenta in cornibus jumentorum deligata incendit, ejusqve generis multitudinem magnam dispalatam immisit. qvo repentino objectu viso tantum terrorem injecit exercitui Romanorum, ut egredi extra vallum nemo sit ausus. Hanc post rem gestam non ita multis diebus M. Minutium Rufum magistrum eqvitum, pari ac dictatorem imperio, dolo perductum in prælium fugavit. T. Sempronium Gracchum iterum consulem in Lucanis absens in insidias inductum sustulit. M.

Claudium Marcellum qvinqvies consulem, apud Venusiam pari modo interfecit. Longum est enumerare prælia. Qvare hoc unum satis erit dictum, ex qvo intelligi possit, qvantus ille fuerit. Qvamdiu in Italia fuit, nemo ei in acie restitit, nemo adversus eum post Cannensem pugnam in campo castra posuit. Hic invictus patriam defensum revocatus, bellum gesit adversus P. Scipionis filium, qvem ipse primum apud Rhodanum, iterum apud Padum, tertiò apud Trebiam fugaverat. Cum hoc exhaustis jam patriæ facultatibus cupivit in præsentiarum bellum componere, qvo valentior postea congrederetur. In colloqvium convenit, conditiones non convenerunt. Post id factum paucis diebus apud Zamam cum eodem conflixit: pulsus (incredibile dictu) biduo & duabus noctibus Adrumetum pervenit; qvod abest à Zama circiter millia passuum trecenta. In hac fuga Numidæ, qvi simul cum eo ex acie excesserant, insidiati sunt ei: qvos non solùm effugit, sed etiam ipsos

oppressit. Adrumeti reliqvos ex fuga collegit. novis delectibus paucis diebus multos contraxit. Cùm in apparando acerrimè esset occupatus, Carthaginenses bellum cum Romanis composuerunt. Ille nihilo secius exercitui postea præfuit, resqve in Africa gessit: Itemqve Mago frater ejus, usqve ad P. Sulpicium & C. Aurelium consules. His enim magistratibus legati Carthaginenses Romam venerunt, qvi senatui populoqve Romano gratias agerent, qvod cum his pacem fecissent, ob eamqve rem corona aurea eos donarent: simulq; peterent, ut obsides eorum Fregellis essent, captiviq; redderentur. His ex senatus-consulto responsum est, munus eorum gratum, aceeptumqve esse: obsides qvo loco rogarent, futuros: captivos non remissuros, qvòd Hannibalem, cujus opera susceptum bellum foret, inimicissimum nomini Romano, & nunc cum imperio apud exercitum haberent, itemqve fratrem ejus Magonem. Hoc responso Carthaginenses cognito Hannibalem domum, Magonemqve

nemqve revocarunt. Hic, ut rediit, prætor factus est, postqvam rex fuerat, anno secundo & vicesimo. Ut enim Romæ consules, sic Carthagine quotannis annui bini reges creabantur. In eo magistratu pari diligentia se Hannibal præbuit, ac fuerat in bello, namqve effecit, ex novis vectigalibus non solùm ut esset pecunia, qvæ Romanis ex fœdere penderetur, sed etiam supereset, qvæ in ærario poneretur. Deinde anno post præturam, Marco Claudio, Lucio Furio Coss. Romani legati, Carthaginem venerunt. Hos Hannibal sui exposcendi gratia missos ratus, priusqvam his senatus daretur, navem conscendit clàm, atqve in Syriam ad Antiochum profugit. Hac re palàm facta Pœni naves duas, qvæ eum comprehenderent, si possent consequi, miserunt. bona ejus publicarunt, domum à fundamentis disjecerunt, ipsum exsulem judicarunt. At Hannibal anno tertio, postqvam domo profugerat, L. Cornelio, Qvinto Minucio Coss. cum qvinqve navibus Africam accessit in finibus

Cyrenæorũ, si fortè Carthaginenses ad bellum, Antiochi spe fiduciaqve, inducere posset: cui jam persvaserat, ut cum exercitibus in Italiam proficisceretur. Huc Magonem fratrem excivit. Idubi Pœni resciverunt, Magonem eadem, qva fratrem absentem pœna, afficerunt. Illi desperatis rebus cùm solvissent naves, ac vela ventis dedissent, Hannibal ad Antiochum pervenit. de Magonis interitu duplex memoria prodita est. Namqve alii naufragio, alii à servis ipsius interfectum eum, scriptum reliqverunt. Antiochus autem si tam in agendo bello parere voluisset consiliis ejus, qvàm in suscipiendo instituerat, propius Tyberim qvàm Thermopylas, de summa imperii dimicasset, qvem etsi multa stultè conari videbat, tamen nulla deseruit in re. præfuit paucis navibus, qvas ex Syria jussus erat in Asiam ducere, hisqve adversus Rhodiorum classem in Pamphylio mari conflixit. in qvo cùm multitudine adversariorum sui superarentur; ipse, qvo cornu rem gesit, fuit superior, Antiocho fugato, ve-

rens

rens, ne dederetur, qvod sine dubio accidisset, si sui fecisset potestatem, Cretam ad Gortynios venit, ut ibi, qvò se conferret, consideraret. Vidit autem vir omnium callidissimus, magno se fore in periculo, nisi qvid prævidisset, propter avaritiam Cretensium. magnam enim secum pecuniam portabat, de qva sciebat exisse famam. itaq; capit tale consilium: amphoras complures complet plumbo: summas operit auro & argento. has Gortyniis præsentibus deponit in templo Dianæ, simulans, se suas fortunas illorum fidei credere. His in errorem ductis, statuas æneas, qvas secum portabat, omnes sua pecunia complet, easqve in propatulo domi abjicit. Gortynii templum magna cura custodiunt, non tàm à cæteris, qvàm ab Hannibale, ne qvid ille, inscientibus illis, tolleret, secumqve portaret. Sic conservatis suis rebus Pœnus, illusis Cretensibus omnibus, ad Prusiam in Pontum pervenit: apud qvem eodem animo fuit erga Italiam, neqve aliud qvicqvam egit, qvàm Regem ar-

mavit, & excitavit adversus Romanos. Qvem cùm videret domesticis rebus minus esse robustum, conciliabat cæteros reges, adjungebatqve bellicosas nationes. Diffidebat ab eo Pergamenus rex Eumenes, Romanis amicissimus, bellumqve inter eos gerebatur & mari & terra: qvo magis cupiebat eum Hannibal opprimi. sed utrobiqve Eumenes plus valebat propter Romanorum societatem: qvem si removisset, faciliora sibi cætera fore arbitrabatur, ad hunc interficiendum, talem iniit rationem. Classe paucis diebus erant decertaturi. superabatur navium multitudine. dolo erat pugnandum, cùm par non esset armis, imperavit qvàm plurimas venenatas serpentes vivas colligi, easqve in vasa fictilia conjici. Harum cùm confeciisset magnam multitudinem, die ipso, qvo facturus erat navale prælium, classiarios convocat, hisqve præcepit, omnes ut in unam Eumenis regis concurrant navem, à cæteris tantum satis habeant se defendere. id facilè illos serpentium multitudine

conse-

conſecuturos. Rex autem qva nave veheretur, ut ſcirent, ſe facturum: qvem ſi aut cepiſſent, aut interfeciſſent, magno his pollicetur præmio fore. Tali cohortatione militum facta, claſſis ab utrisqve in prælium deducitur. qvarum acie conſtituta priusqvam ſignum pugnæ daretur, Hannibal, ut palàm faceret ſuis, qvo loco Eumenes eſſet, tabellarium in ſcapha cum caduceo mittit: qvi ubi ad naves adverſariorum pervenit, epiſtolam oſtendens, ſe regem profeſſus eſt qværere. Statim ad Eumenem deductus eſt, qvod nemo dubitabat aliqvid de pace eſſe ſcriptum. Tabellarius ducis nave declarata ſuis, eodem unde ierat, ſe recepit: At Eumenes ſoluta epiſtola nihil in ea reperit, niſi qvod ad irridendum eum pertineret. cujus etſi cauſam mirabatur, neqve reperiebatur, tamen prælium ſtatim committere non dubitavit. Horum in concurſu Bithyni Hannibalis præcepto univerſi navem Eumenis adoriuntur: qvorum vim cùm rex ſuſtinere non poſſet, fuga ſalutem petiit:

qvam

qvam conſeqvutus non eſſet, niſi intra ſua præſidia ſe recepiſſet: qvæ in proximo littore erant collocata. Reliqvæ Pergamenæ naves cùm adverſarios premerent acrius, repentè in eas vaſa fictilia, de qvibus ſuprà mentionem fecimus, conjici cœpta ſunt: qvæ jacta initio riſum pugnantibus excitarunt, neqve qvare id fieret, poterat intelligi, poſtqvam autem naves completas conſpexerunt ſerpentibus, nova re perterriti, cùm qvid potiſſimum vitarent, non viderent, puppes averterunt, ſeqve ad ſua caſtra nautica retulerunt. Sic Hannibal conſilio arma Pergamenorum ſuperavit, neqve tum ſolùm: ſed ſæpè aliàs pedeſtribus copiis pari prudentia pepulit adverſarios. qvæ dum in Aſia geruntur, accidit caſu, ut legati Pruſiæ Romæ apud L. Qvintium Flaminium conſulem cœnarent, atqve ibi de Hannibale mentione facta, ex his unus diceret, eum in Pruſiæ regno eſſe. Id poſtero die Flaminius ſenatui detulit. Patres conſcripti, qvi Hannibale vivo nunqvam ſe ſine inſidiis futuros exiſti-

existimabant, legatos in Bithyniam miserunt, in his Flaminium, qvi à rege peterent, ne inimicissimum suum secum haberet, sibiq; dederet. His Prusias negare ausus non est illud, recusavit, ne id à se fieri postularent, qvod adversus jus hospitii esset: ipsi si possent, comprehenderent: locum, ubi esset, facilè inventuros. Hannibal enim uno loco se tenebat in castello, qvod ei ab rege datum erat muneri: idqve sic ædificat, ut in omnibus partibus ædificii exitus haberet, semper verens, ne usu eveniret, qvod accidit. Huc cùm legati Romanorum venissent, ac multitudine domum ejus circumdedissent, puer ab janua prospiciens Hannibali dixit, plures præter consvetudinem armatos apparere, qvi imperavit ei, ut omnes fores ædificii circumiret, ac properè sibi renunciaret, num eodem modo undiqve obsideretur. Puer cum celeriter, qvid esset, renunciasset, omnesqve exitus occupatos ostendisset: sensit id non fortuitò factum, sed se peti, neqve sibi diutius vitam esse retinendam; qvam

ne

ne alieno arbitrio dimitteret, memor pristinarum virtutum, venenum, qvod semper secum habere consveverat, sumpsit. Sic vir fortissimus, multis variisqve perfunctus laboribus, anno acqvievit septuagesimo. Qvibus consulibus interierit, non convenit. namqve Atticus M. Claudio Marcello, & Q. Fabio Labeone Coss. mortuum in annali suo scriptum reliqvit. At Polybius L. Æmilio Paulo, & Cn. Bæbio Pamphilo. Sulpicius autem P. Cornelio Cethego, & L. M. Bæbio Pamphilo. Atqve hic tantus vir, tantisq; bellis districtus, non nihil temporibus tribuit literis. namqve aliqvot ejus libri sunt, Græco sermone confecti: in his ad Rhodios de Cn. Manlii Vulsonis in Asia rebus gestis. Hujus bella gesta multi memoriæ prodiderunt: sed ex his duo, qvi cum eo in castris fuerunt, simulqve vixerunt, qvamdiu fortuna passa est, Philænius & Sosilus Lacedæmonius, atqve hoc Sosilo, Hannibal literarum Græcarum usus est doctore. Sed nunc tempus est hujus libri facere finem, & Romanorum

rum explicare imperatores, qvo facilius collatis utrorumqve factis, qvi viri præferendi sint, possit judicari.

HANNIBAL.

Axiomata.

1. *Cuiq; Genti Virtutes suæ sunt suaq; vitia. Bellica Virtute clarissimos Pœnos fuisse qvis neget? At perfidiæ nota infames Cic. 1. Off. Pœni Fœdifragi, crudelis Hannibal. Sic Germani fide & animi generositate præstant, at gulæ nimis addicti ac vertendis poculis. Itali Ingenioſi, sed & libidinoſi, graves Hispani, at fastuoſi, Galli strenui, at litigioſi. Punica fides proverbio locum fecit. De Hannibale Livius l. 31. Plurimùm illi audaciæ erat ad pericula capessenda, plurimùm consilii inter ipsa pericula, nullo labore aut corpus fatigari, aut animus vinci poterat &c. princeps prælium inibat, ultimus conserto prælio excedebat. Has Viri tanti Virtutes ingentia vitia æqvabant, inhumana crudelitas, perfidia plusqvàm Punica; nihil veri, nihil sancti, nullus*

Deûm

Deûm metus, nullum jusjurandum, nulla religio. id quod res ab eo gestæ satis probant legendæ apud Livium, Polybium, Florum, Plutarchum, alios.

2. *A teneris assuescere multum est, Virg. 2. Georg. uti molli ceræ facillimè sigilla imprimuntur, ita teneris animis Virtutum præcepta nullo negotio instillantur. Notum illud de Catulis binis diversa ratione eductis ac productis à Lycurgo ap. Plut. de Puer. Educ. Arbores dum teneræ sunt, palis alligantur, ut rectæ surgant, equi dum pulli sunt, ut assuescant freno, frenantur, ita ab incunabulis pueri benè vivendi artem docendi atq; à teneris severâ disciplinâ educandi sunt Ant. de Guevar. l. 2. Horol. Princ. c. 14. Ita Hannibal in castris inter armorum strepitum, non in Gynæceo, lusus inter & amplexus puellares, educatus, Dux belli evasit clarissimus, terror Romani nominis.*

3. *Odium ἄπωνδον & immortale cœlo terræq; invisum. Equidem, ut ait Isocrates ad Dem. πρέπει τὸς παῖδας, ὥσπερ τῆς ὄψεως, ὅτω καὶ τῆς φι-*

λίας

λίας τῆς πατρικῆς κληρονομεῖν. Oportet liberos, ut facultatum, ita amicitiæ paternæ hæredes esse, at odium in liberos propagatum ire, imò jurejurando eos ad exercenda odia obstringere, impium est. His non est, ut ait Euripides: νεικέων τέλος θάνατος, rixarum mors finis. Et Hannibal, aliàs parùm religiosus, perjurii crimine absolvendus fuisset, si jurisjurandi memoriam unà cum Patre sepelivisset: nam quod malè juratur, pejus servatur. Ille verò implacabili ardens odio Romanis toto orbe hostem, etiam victus & exul quæsivit, & Patriæ & suo damno maximo.

4. Sub specioso Legationis titulo quandoq; fraus latet & exploratio, ideoq; Politicarum rerum consulti suadent suspectæ fidei Legatos celeriter dimittendos aut longiùs à consiliis publicis removendos, aut arcta quasi custodia sepiendos esse.

5. Virtuti quid invium & militi nihil secum præter instrumenta belli portanti? ut loquitur Hannibal apud Liv. l. 31.

Cum

Cum maximo ille exercitu cumq; stupendæ belluis magnitudinis non Pyrenea tantùm juga transit, sed Alpium etiam altitudinem nivesq; cœlo propè immistas superavit. Scilicet nihil tàm altè natura constituit, qvo virtus non possit eniti, ait Alexander petram undiq; abscissam & abruptam à Barbaris occupatam oppugnaturus apud Curt. l. 7.

6. *Nec gravior hostis, nec pestilentior Luxuria. Hannibalem toties Victorem, Campaniæ fregere deliciæ, unde ab Historicis Capua ei fuisse dicitur, qvod Romanis Canna. Armis vicit, inqvit Seneca Ep. 51. vitiis victus est. Certè si Maharbalis consilium secutus, illicò Romam à Cannensi clade trepidam, accessisset, qvinto die in Capitolio epulatus Imperii Romani apicem abstulisset, sed meliora fata perniciem istam averterunt.*

7. *Fortuna globo insistit apud Ceb. in tab. alata Victoria est, vel ut Scytharum Legati loqvuntur apud Curt. l. 7. Sine pedibus fortuna est, cùm manus porrigit,*

git, pinnas quoq; comprehendere non sinit. Expertus id Hannibal: nam prudenti primùm Fabii cunctatione, ardenti Marcelli alacritate temperata (unde Ille Imperii Scutum, hic Gladius dictus est, Plut. in Fabio) debilitatus, tandem à Scipione in Africa sua victus; patria ejectus, exul oberravit, ita

Tristia succedunt lætis, adversa secundis.

8. Qui neq; ipse per se sapit, neq; consilio paret Sapientis, Vir est inutilis, inquit Hesiod. l. 1. Op. Talis Antiochus, ante luxuria sua, quàm armis debellatus, prælium nec spectare potuit; Hannibalis autem fidem suspectam dum habuit, salutaria ejus consilia sprevit, ac proinde maximis stipatus copiis, facilè victus est supplicij; pax data Flor. l. 2. c. 8. Ferunt Hannibalem Regi, cum exercitum ipsi monstrâsset, auro argentoq; refulgentem & ex eo quæsísset, num vincendis Romanis ista sufficere putaret, respondisse: satis ista Romanis, si vel avarissimi sint. Nempe Victoria non ornamentorum decore, sed ferri virtute quæritur,

ritur, inquit, Alex. ap. Just. l. XI.

9. Nihil tàm sanctum est, quod avaritia non violet. Ea Cretenses, ut aliis vitiis, infames fuere, de quibus Epimenides:

Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργαί.

Cretenses semper mendaces, mala bestiæ, ventres pigri.

Hinc Hannibal horum hospitio usurus cautè sibi agendum putavit, præcipuè cùm ingenti pecunia venisset onustus, quæ, ut ille ait, multos habet insidiatores, ea propter Menandro πλοῦτος δειλὸν κακὸν, timidum & anxium malum, Juven. Sat. 10.

Pauca licèt portes argenti vascula puri,
Nocte iter ingressus gladium contumq; timebis.
Pauperias ubiq; tuta est,
Cantabit vacuus coram latrone viator.

10. Impares armis ac viribus dolo pugnant, vincunt. Et quidem hosti, quacunq; via licet, impunè nocemus. Ulysses astu-

tia sua Trojam evertisse dicitur. Ipse de se apud Homerum:

— — — πᾶσι δόλοισι
Ἀνδρώπτοισι μέδω καὶ μεῦ κλέος οὐρανὸν ἵκει.

Imò ut ingeniosius, ita præclarius esse videtur stratagemate vincere, quàm cruenta manu, unde, Plutarcho referente, Lacedæmonii olim stratagemate Victores bovem, vi aperta gallum Marti immolabant.

11. Hospites nec violandi, nec prodendi. Supra Admetus Themistoclem sibi supplicem non prodidit, sed monuit, ut sibi consuleret datoq; præsidio incolumem dimisit. Noster in Vit. Themist. Non ita Prusias, in quo nihil pæne regium præter nomen fuisse docet Polyb. Excerpt. Legat. c. 97. Ab hoc proditus Hannibal, venenum poposcit, inquiens: Liberemus diuturna cura populum Romanum, quando mortem senis expectare longum censet, hinc execratus caput Regnumq; Prusiæ & Hospitales Deos violatæ ab eo fidei testes invocans,

 vene-

venenatum poculum exhausit Liv. Dec. 4. l. 9.

12. Contumeliæ se ac Servituti aut etiam doloribus voluntaria morte subducere apud gentiles usitatum ac laudatum. Exempla infra dabimus ad Atticum. P. Syrus:

Bis emori est alterius arbitrio mori,
nec tàm pœna mors, qvàm ultima pœnarum linea, hinc Ægysthus apud Sen. in Agam. vers. 989.

Rudis est tyrannus, morte qvi pœnam exigit.

& Lycus in Herc. fur. vers. 512.

Miserum veta perire, felicem jube.

Hannibal.

HAnnibal *juratus Urbis hostis, Urbis æmulæ.*

Romulas fracturus arces Alpium transit juga
Ausonasq; vexat oras, Victor omni prælio,
Diripit, vastat tremente gente & urbe Romula,

Cædit

Cædit ingentes catervas terror hostis hostium,
Cauta dum Fabi feroces frangit impetus mora,
Et manu victrice campos pervagatus Africæ
Scipio domat duello supplicem Carthaginem.
Hannibal fugit, neq; armis nudus exul abstinet,
Concitans ad Arma, ad Arma Rege cum suo Syros,
Quos tamen belli imperitos Roma bellax subjugat.
Hannibal fugit, sed angue callidissimus Ducum
Eumenem fugat doloq; Creticos vincit dolos,
Seq; servat, servat omnem fraudibus pecuniam.
Nominis tanti Imperator, proditore Prusia
Hospitis, manus potentes Romulas non effugit,
Hinc Senex bibit venena, morte quo se libera
Vinculis ludibriisq; subtrahat Quiritium

Inclytum fœdavit ille Fortitudinis Decus Aspera crudelitate, perfidus, fœdifragus.

M. PORTIUS CATO,

Ex Libro secundo Æmilii Probi, seu Cornelii Nepotis.

CATO ortus municipio Tusculo, adolescentulus prius, qvam honoribus operam daret, versatus est in Sabinis, qvod ibi heredium à patre relictum habebat. Hortatu L. Valerii Flacci, qvẽ in consulatu, censuraq; habuit collegam, ut M. Perperna Censorinus narrare solitus est, Romam demigravit: in foro esse cœpit. Primum stipendium meruit annorum decem septemqve, Q. Fabio Maximo, M. Claudio Marcello Coss. tribunus militum in Sicilia fuit. Inde ut rediit, castra secutus est C. Claudii Neronis: magniqve ejus opera æstimata est in prælio apud Senam, qvo cecidit Hasdrubal, frater Hannibalis. Qvæstor obtigit P. Cornelio Scipioni Africano, consuli: cum qvo non pro sortis necessitudine vixit. Namqve

qve ab eo perpetua dissensit vita. Ædilis pl. factus est cum C. Helvio. Præter provinciam obtinuit Sardiniam, ex qva qvæstor superiore tempore ex Africa decedens, Q. Ennium Poetam deduxerat: qvod non minoris æstimamus, qvàm qvemlibet amplissimum Sardinienſem triumphum. Consulatum gessit cum L. Valerio Flacco, sorte provinciam nactus Hispaniam citeriorem, exqve ea triumphum deportavit. Ibi cùm diutius moraretur, P. Scipio Africanus consul iterum, cujus in priore consulatu qvæstor fuerat, voluit eum de provincia depellere, & ipse ei succedere: neqve hoc per senatum efficere potuit, cum qvidem Scipio in civitate principatum obtineret, qvòd tum non potentia, sed jure respub. administrabatur. Qva ex re iratus, senatu peracto, privatus in urbe mansit. At Cato, censor cum eodem Flacco factus, severè præfuit ei potestati. Nam & in complures nobiles animadvertit, & multas res novas in edictum addidit, qvare luxuria reprimeretur, qvæ jam tum incipiebat

pullulare. Circiter annos octoginta usqve ad extremam ætatem, ab adolescentia, reipub. causa suscipere inimicitias non destitit: à multis tentatus, non modò nullum detrimentum æstimationis fecit, sed qvoad vixit, virtutum laude crevit. In omnibus rebus singularis fuit prudentia & industria. Nam & agricola sollers, & reipub. peritus, jurisconsultus, & magnus imperator, & probabilis orator, & cupidissimus literarum fuit. Qvarum studium, etsi senior arripuerat, tamen tantum in eis progressum fecit, ut non facilè reperire possis neqve de Græcis, neqve de Italicis rebus, qvod ei fuerit incognitum. Ab adolescentia confecit orationes. Senex scribere historias instituit, qvarum sunt libri septem. Primus continet res gestas rerum populi Rom. Secundus, & tertius, unde qvæqve civitas orta sit Italica. Ob qvam rem omnes Origines videtur appellasse. In qvarto autem bellum Punicum primum, in qvinto secundum. Atqve hæc omnia capitulatim sunt dicta, reliqvaqve bella pari

pari modo persecuttus est, usqve ad præturam Ser. Galbæ, qvi diripuit Lusitanos. Atqve horum bellorum duces non nominavit, sed sine nominibus res notavit. In iisdem exposuit qvæ in Italia Hispaniisqve viderentur admiranda. In qvibus multa industria, & diligentia comparet, multa doctrina. Hujus de vita & moribus plura in eo libro persecuti sumus, qvem separatim de eo fecimus, rogatu Titi Pomponii Attici. Qvare studiosos Catonis ad illud volumen delegamus.

CATO.

Axiomata.

1. *Virtus nobilitat. M. Portius Cato loco natus ignobili, homo novus Nobilitatem cum Imagine posteris reliqvit, belli pacisq; artibus clarissimus. Imperator triumphavit & Consulatu cum laude functus, Censor factus eam potestatem severissimè exercuit, ita ut Manlium Senatu moverit, eo qvod uxorem inspectante osculatus esset filia. Censura*

erat æstimatio morum & fortunarum; fastigium quoddam honorum omnium, dicente Plut. in Cat. Si quid Senator, Eques, Civis de plebe deliquisset, Censor illum Senatu movebat, isti equum & annulum adimebat, hunc ærarium faciebat. Cato hic, ut à prudentia Cato, ita à Censura Censorius dictus est, proavus ejus Catonis, qui deplorata Rep. ne vultum tyranni Cæsaris aspiceret, Uticæ mortem sibi consciviit, Uticensis ob eam rem dictus.

2. Optimi quandoq; Viri ob morum ac studiorum dissimilitudinem non optimam colunt amicitiam. Exemplo sunt Cato & Scipio; hic lautè splendideq; vivebat, in militem munificus, ille parcus & astrictus, splendorem omnem oderat, utrumq; tamen, ut ait Sen, ep. 87. populo Romano profuit nasci: alter enim cum hostibus bellum, alter cum moribus gessit. Tantus hic Vir, idem addit, cantherio vehebatur & hippoperis quidem impositis, ut secum utensilia portaret. O quantum erat seculi decus, Imperatorem Triumphalem, Censorium

&

& (quod super omnia hæc est) Catonem uno caballo esse contentum & ne toto quidem: partem enim sarcinæ ab utroque latere dependentes occupabant. Magnates nostri qua pompa, quo comitatu incedunt?

3. Unus Vir doctus ac Sapiens pluris æstimandus, quàm nobilissimus triumphus. Quid enim

Orbis pars melior Docti. Fatuata meraco
Circes, nil sapiunt agmina prater humum.

Ennius ille, quo Magistro Græcas literas Cato didicisse dicitur, insignis Poëta fuit, è cujus sterquilinio Maro aurum suum collegit, tàm charus Scipioni, ut moriens statuam ejus juxta suam collocari jusserit. Ita cum Lacedæmonii victi pacem ab Athenienſibus per Euxinum Philoſophum petiissent, illi sapientiam ejus admirati, & pacem petentibus concesserunt, & provinciam, qua de dimicaverant, sed ea conditione, ut sibi Euxinum Oratorem & Philoſophum concederent, tanti non æstimantes

totam regionem, quanti Sapientiæ Magistrum. Ant. de Guevar. l. 2. H. Pr. c. 31.

4. Etiam seni discere honestum est. M. Antoninus Imp. jam senior Sextum Philosophum cum libello adiit cognitu-rus, quæ nesciret, & Cato Græcarum literarum perstudiosus fuisse dicitur in senectute Cic. in Cat. maj. tamdiu enim discas, quam diu nescias, vel, ut habet proverbium, quamdiu vivas. Notus est versus Solonis:

Γηράσκω ἀεὶ πολλὰ διδασκόμενος.
Senesco semper multa discens.

CATO.

Axiomata.

ET tibi Censori, Censor rigidissime, multum
Debet Roma potens, Cato,
Rus patrium linquens subiisti castra Neronis
Bellando meritus decus.
Hinc Quæstor, Prætor, Consul, post omnia Censor
Illustris, sapiens, gravis.

Au-

Ausus es horribili pœnad3 & lege vagantem
Refrenare licentiam.
Hostis Luxuriæ, scelerumq3 acerrimus osor,
Virtutum bonus Arbiter.
Moribus haut nocet infensus tibi Scipio
dispar,
Morsusvé Invidiæ innocens.
Te didicisse Senẽ juvat & clarescere scriptis.
Sic vitæ moreris satur.

Vita T. POMPONII ATTICI, ex Corn. Nep.

POMPONIUS ATTICUS, ab origine ultima stirpis Romanæ generatus, perpetuò à majoribus acceptam, eqvestrem obtinuit dignitatem. Patre usus est diligente, indulgente, &, ut tùm erant tempora, diti, inprimisqve studioso literarum. hic prout ipse amabat literas, omnibus doctrinis, qvibus puerilis ætas impertiri debet, filium erudivit. Erat autem in puero, præter docilitatem ingenii, summa svavitas oris ac vocis, ut non solùm celeriter arriperet qvæ tradebantur, sed etiam excellenter

pronunciaret. Qua ex re, in pueritia, nobilis inter æquales ferebatur, clariusque exsplendescebat, quam generosi condiscipuli animo æquo ferre possent, Itaque incitabat omnes studio suo: quo in numero fuerunt L. Torquatus, C. Marius, C. filius. M. Cicero, quos consuetudine sua sic sibi devinxit, ut nemo iis perpetuò fuerit carior. Pater maturè decessit, ipse adolescentulus, propter affinitatem P. Sulpitii, qui tribun. pleb. interfectus est, non expers fuit illius periculi. Namque Anicia, Pomponii consobrina, nupserat Servio fratri P. Sulpicii. Itaque interfecto P. Sulpicio posteaquàm vidit, Cinnano tumultu civitatem esse perturbatam, neque sibi dari facultatem pro dignitate vivendi, quin alterutram partem offenderet, dissociatis animis civium, cùm alii Syllanis, alii Cinnanis faverent partibus: idoneum tempus ratus studiis obsequendi suis Athenas se contulit: neque eo secius adolescentem Marium hostem judicatum, juvit opibus suis: cujus fugam

gam pecunia sublevavit. At ne illa peregrinatio detrimentum aliqvod afferret rei familiari, eodem magnam partem fortunarum trajecit suarum. Hîc ita vixit, ut universis Athenienſibus meritò esset cariſſimus. Nam, præter gratiam, qvæ jam in Adolescentulo magna erat, sæpè suis opibus inopiam eorum publicam levavit. Qvum enim versuram facere publicè necesse esset, neqve ejus conditionem æqvam haberent: semper se interposuit, atqve ita, ut neqve usuram unqvam ab iis acceperit, neque longius qvàm dictum esset, eos debere passus sit. Qvod utrumqve erat iis salutare. nam neqve indulgendo inveteraſcere eorum æs alienum patiebatur, neqve multiplicandis usuris crescere. Auxit hoc officium alia qvoqve liberalitate. Nam universos frumento donavit, ita ut singulis sex modii tritici darentur, qvi modus mensuræ, medimnus Athenis appellatur. Hic autem sic se gerebat, ut communis infimis, par principibus videretur. qvo factum est, ut huic omnes

honores, qvos possent, publicè haberent, civemqve facere studerent: qvo beneficio ille uti noluit, qvod nonnulli ita interpretantur, amitti civitatem Romanam alia ascita. Qvamdiu affuit, ne qva sibi statua poneretur, restitit; absens prohibere non potuit. Itaqve aliqvot ipsi, & Phidiæ, locis sanctissimis posuerunt. Hunc enim in omni procuratione Reipub. actorem auctoremqve habebant. Igitur primum illud munus fortunæ, qvòd in ea potissimùm urbe natus est, in qva domicilium orbis terrarum esset imperii, ut eandem & patriam haberet, & dominam. Hoc specimen prudentiæ, qvòd cùm in eam civitatem se contulisset, qvæ antiqvitate, humanitate, doctrina præstaret omnes, ei unus ante alios fuerit carissimus. Huc ex Asia Sylla decedens, cùm venisset, qvamdiu ibi fuit, secum habuit Pomponium, captus adolescentis & humanitate, & doctrina. Sic enim Græcè loqvebatur, ut Athenis natus videretur. Tanta autem svavitas erat sermonis latini, ut appareret, in eo nativum qven-

dam

dam leporem esse, non ascitum. Idem poemata pronunciabat & Græcè & Latinè, sic ut suprà nihil posset. Qvibus rebus factum est, ut Sylla nusqvam eum ab se dimitteret, cupereteqve secum deducere. cui cùm persvadere tentaret, noli, oro te, (inqvit Pomponius) adversum eos me velle ducere, cum qvibus ne contra te arma ferrem, Italiam reliqvi. At Sylla, adolescentis officio collaudato, omnia munera ei, qvæ Athenis acceperat, proficiscens jussit deferri. Hic complures annos moratus, cùm & rei familiari tantùm operæ daret, qvantum non indiligens deberet paterfamiliâs, & omnia reliqva tempora aut litteris, aut Athenienstum reipub. tribueret, nihilominus amicis urbana officia præstitit. Nam & ad comitia eorum ventitavit, & si qva res major acta est, non defuit: sicut Ciceroni in omnibus ejus periculis singularem fidem præbuit: cui ex patria fugienti L L S. ducenta & qvinqvaginta millia donavit. Tranqvillatis autem rebus Romanis, remigravit Romam, ut opinor, L. Cotta,

Cotta, & L. Torqvato Coss. qvem diem sic uniuersa civitas Athenienſium prosecuta est, ut lachrymis desiderii futuri dolorem indicaret. Habebat avunculum Q. Cæcilium, eqvitem Romanum, familiarem L. Luculli, divitem, difficillima natura, cujus sic asperitatem veritus est, ut, qvem nemo ferre posset, hujus sine offensione ad summam senectutem retinuerit benevolentiam, qvo facto, tulit pietatis fructum. Cæcilius enim moriens, testamento adoptavit eum, heredemqve fecit ex dodrante, ex qva hereditate accepit circiter centies L L. S. Erat nupta soror Attici Q. Tullio Ciceroni; easq; nuptias M. Cicero conciliarat, cum qvo à condiscipulatu vivebat conjunctissimè, multo etiam familiarius, qvàm cum Q. ut judicari possit, plus in amicitia valere similitudinem morum, qvàm affinitatem. Utebatur autem intimè Q. Hortensio, qvi iis temporibus principatum eloqventiæ tenebat, ut intelligi non posset, uter eum plus diligeret, Cicero, an Hortensius. & id, qvod erat difficillimum,

limum, efficiebat, ut inter qvos tantæ laudis esset æmulatio, nulla intercederet obtrectatio, essetqve talium virorum copula. in repub. ita versatus est, ut semper optimarum partium & esset, & existimaretur, neqve tamen se civilibus fluctibus committeret, qvòd non magis eos in sua potestate existimabat esse, qvi se iis dedissent, qvàm qvi maritimis jactarentur. Honores non petiit, cùm ei paterent, propter vel gratiam, vel dignitatem: qvòd neqve peti more majorum, neqve capi possent conservatis legibus, in tam effusis ambitus largitionibus, neqve geri è repub. sine periculo, corruptis civitatis moribus. Ad hastam publicam nunqvam accessit Nullius rei neqve præs, neqve manceps factus est. Neminem neqve suo nomine, neqve subscribens, accusavit. In jus de sua re nunqvam ivit: judicium nullum habuit. Multorum consulum, prætorumqve præfecturas delatas, sic accepit, ut neminem in provinciam sit secutus: honore fuerit contentus, rei familiaris despexerit fructum.

qvi

qvi ne cum Q. qvidem Cicerone voluerit ire in Asiam, cùm apud eum legati locum obtinere posset. Non enim decere se arbitrabatur, cùm præturam gerere noluisset, assectam esse prætoris, qva in re non solùm dignitati serviebat, sed etiam tranqvillitati, cùm suspiciones qvoqve vitaret criminum. qvo fiebat, ut ejus observantia omnibus esset carior, cum eam officio, non timori, neqve spei tribui viderent. Incidit Cæsarianum civile bellum, cum haberet annos circiter sexaginta. usus est ætatis vacatione, neqve se qvoqvam movit ex urbe. Qvæ amicis suis opus fuerant ad Pompejum proficiscentibus, omnia ex sua re familiari dedit. Ipsum Pompejum conjunctum non offendit. Nullum enim ab eo habebat ornamentum, ut cæteri, qvi per eum aut honores, aut divitias ceperant: qvorum partim invitissimi castra sunt secuti, partim summa cum ejus offensione, domi remanserunt. Attici autem qvies, tantoperè Cæsari fuit grata, ut victor cùm privatis pecunias per epistolas imperaret, huic

huic non solum molestus non fuerit, sed etiam sororis, & Q. Ciceronis filium ex Pompeji castris concesserit. Sic vetere instituto vitæ, effugit nova pericula. Secutum est illud, occiso Cæsare, 8
qvum respub. penes Brutos videretur esse, & Cassium, ac tota civitas se ad eum convertisse videretur. Sic M. Bruto usus est, ut nullo ille adolescens æqvali familiarius, qvàm hoc sene: neqve solùm eum principem consilii haberet, sed etiam in convictu. Excogitatum est à qvibusdam, ut privatum ærarium, Cæsaris interfectoribus ab eqvitibus Romanis constitueretur. Id facilè effici posse arbitrati sunt, si & principes illius ordinis pecunias contulissent. Itaqve appellatus est à C. Flavio Bruti familiari Atticus, ut ejus rei princeps esse veller. At ille, qvi officia amicis præstanda sine factione existimaret, semperqve à talibus se consiliis removisset, respondit, si qvid Brutus de suis facultatibus uti voluisset, usurum quantum eæ paterentur: sed neqve cum qvoqvam de ea re collocuturum, neqve coiturum.

sic

sic ille consensionis globus, hujus unius dissensione, disjectus est. neqve multo post superior esse cœpit Antonius, ita ut Brutus & Cassius provinciarum, qvæ iis dicis causa datæ erant à consulibus, desperatis rebus, in exilium proficiscerentur. Atticus, qvi pecuniam simul cum cæteris conferre noluerat florenti illi parti, abjecto Bruto, Italiaq; cedenti LLS. centum millia muneri misit. eidem in Epiro absens, trecenta jussit dari: neqve eo magis potenti adulatus est Antonio, neqve desperatos reliqvit. Secutum est bellum gestum apud Mutinam. In qvo si tantùm eum prudentem dicam, minus, qvàm debeam, prædicem, cùm ille potius divinus fuerit, si divinatio appellanda est perpetua naturalis bonitas, qvæ nullis casibus neqve agitur, neqve minuitur. Hostis Antonius judicatus Italia cesserat: spes restituendi nulla erat, non solùm ejus inimici, qvi tum erant potentissimi, & plurimi, sed etiam amici adversariis ejus se dabant, & in eo lædendo se aliqvam consecuturos sperabant commodi-

moditatem: ejus familiares insequebantur, uxorem Fulviam omnibus rebus spoliare cupiebant, liberos etiam extingvere parabant. Atticus cùm Ciceronis intima familiaritate uteretur, amicissimus esset Bruto: non modò nihil iis indulsit ad Antonium violandum, sed è contrario familiares ejus ex urbe profugientes, qvantum potuit, rexit: qvibus rebus indiguerunt, adjuvit. P. verò Volumnio ea tribuit, ut plura à parente proficisci non potuerint. Ipsi autem Fulviæ, cùm litibus distineretur, magnisqve terroribus vexaretur, tanta diligentia officium suum præstitit, ut nullum illa præstiterit vadimoniũ sine Attico, hic sponsor omnium rerum fuerit. Qvin etiam, cùm illa fundum secunda fortuna emisset in diem, neqve post calamitatem versuram facere potuisset: ille se interposuit, pecuniamqve sine fœnore, sineq; ulla stipulatione ei credidit, maximum existimans qvæstum, memorem, gratumqve cognosci: simulqve aperire, se non fortunæ, sed hominibus

minibus solere esse amicum. qvæ cùm faciebat, nemo eum temporis causa facere poterat existimare. Nemini enim in opinionem veniebat. Antonium rerum potiturum. Sed sensim is à nonnullis optimatibus reprehendebatur, qvòd parum odisse malos cives videretur. Ille autem sui judicii, potius qvid se facere par esset, intuebatur, qvàm qvid alii laudaturi forent. Conversa subitò fortuna est. Ut Antonius rediit in Italiam, nemo non magno in periculo Atticum futurum putarat, propter intimam familiaritatem Ciceronis & Bruti. Itaqve ad adventum imperatorum de foro decesserat, timens proscriptionem: latebatqve apud P. Volumnium, cui, ut ostendimus paulo antè, opem tulerat, (Tanta varietas iis temporibus fuit fortunæ ut modò hi, modò illi in summo essent aut fastigio, aut periculo) habebatqve secum Q. Gellium Canium æqvalem, simillimumq; sui. Hoc qvoq; sit Attici bonitatis exemplum, qvòd cum eo, qvem puerum in ludo cognoverat, adeò

adeò conjunctè vixit, ut ad extremam ætatem amicitia eorum creverit. Antonius autem etsi tanto odio ferebatur in Ciceronem, ut non solùm ei sed omnibus etiam ejus amicis esset inimicus, eosqve vellet proscribere; multis hortantibus tamen, Attici memor fuit officii, & ei, cùm reqvisisset ubi nam esset, sua manu scripsit, ne timeret, statimqve ad se veniret, se eum & Gellium Canium de proscriptorum numero exemisse. Ac, ne qvod in periculum incideret, qvod noctu fiebat, præsidium ei misit. Sic Atticus in summo timore, non solùm sibi, sed etiam ei, qvem carissimum habebat, præsidio fuit. Neqve enim suæ solùm à qvoqvam auxilium petiit salutis, sed conjunctim: ut appareret, nullam se junctam sibi ab eo velle esse fortunam. Qvòd si gubernator præcipua laude fertur, qvi navem ex hieme, mariqve scopuloso servat, cur non singularis ejus existimetur prudentia, qvi ex tot, tamqve gravibus procellis civilibus, ad incolumitatem pervenit? qvibus ex malis ut se emersit

emersit, nihil aliud egit, qvàm ut plurimis, qvibus rebus posset, esset auxilio, Cùm proscriptos præmiis imperatorum vulgus conqvireret, nemo in Epirum venit, cui res ulla defuerit. nemini non ibi perpetuò manendi potestas facta est. Qvin etiam post prælium Philippense, interitumqve C. Cassii, & M. Bruti, L. Julium Mocillam prætorem, & ejus filium, Aulumqve Torqvatum, cæterosqve pari fortuna perculsos, instituit tueri: atq; ex Epiro his omnibus Samothraciam supportari jussit. Difficilè enim est omnia persequi, & non necessaria. Illud unum intelligi volumus, illius liberalitatem, neqve temporariam, neqve callidam fuisse. Id ex ipsis rebus ac temporibus judicari potest, qvòd non florentibus se venditavit, sed afflictis semper succurrit. qvi quidem Serviliam, Bruti matrem, non minus post mortem ejus, qeàm florentem, coluerit. Sic liberalitate utens, nullas inimicitias gesit, qvòd neqve lædebat qvenqvam, neqve si qvam injuriam acceperat, malebat ulcisci qvàm obli-

obliviſci. Idem immortali memoria recepta retinebat beneficia: qvæ autem ipſe tribuerat, tamdiu meminerat, qvoad ille gratus erat, qvi acceperat. Itaqve hic fecit, ut verè dictum videatur, SUI CUIQVE MORES FINGUNT FORTUNAM. Neqve tamen prius ille fortunam, qvàm ſe ipſe, finxit: qvi cavit ne qva in re jure plecteretur. His igitur rebus effecit, ut M. Vipſanius Agrippa, intima familiaritate conjunctus adoleſcenti Cæſari, cùm propter ſuam gratiam, & Cæſaris potentiam, nullius conditionis non haberet poteſtatem, potisſimùm ejus diligeret affinitatem, præoptaretqve eqvitis Romani filiam generoſam nuptiis. atqve harum nuptiarum conciliator fuit (non eſt enim celandum) M. Antonius triumvir reipubl. conſtituendæ: cujus gratia cum augere poſſeſſiones poſſet ſuas, tantùm abfuit à cupiditate pecuniæ, ut nulla in re uſus ſit ea, niſi in deprecandis amicorum aut periculis, aut incommodis. Qvod qvidem ſub ipſam proſcriptionem perilluſtre fuit. Nam cùm L. Sau-

feji eqvitis Romani æqvalis sui, qvi complures annos studio ductus Philosophiæ, Athenis habitabat, habebatqve in Italia præciosas possesiones, triumviri bona vendidissent, consvetudine ea, qvarum res gerebantur: Attici labore, atqve industria factum est, ut eodem nuncio Saufejus fieret certior se patrimonium amisisse, & recuperasse. Idem L. Julium Calidium, qvem post Lucretii, Catulliqve mortem, multo elegantisimum poetam nostram tulisse ætatem verè videor posse contendere, neqve minus virum bonum, optimisq; artibus eruditum, post proscriptionem eqvitum, propter magnas ejus Africanas possesiones, in proscriptorum numerum à P. Volumnio, præfecto fabrûm Antonii, absentem relatum, expedivit. Qvod in præsenti utrum ei laboriosius, an glorioisius fuerit, difficile fuit judicare, qvòd in eorum periculis, non secus absentes, qvàm præsentes amicos Attico esse curæ cognitum est. Neqve verò minus ille vir, bonus paterfamilias habitus est, qvàm civis. Nam

cùm

cùm esset pecuniosus, nemo illo minus fuit emax: minus ædificator. Neqve tamen non imprimis benè habitavit, omnibusqve optimis rebus usus est. Nam domum habuit in colle Qvirinali Tamphilanam, ab avunculo hæreditate relictam: cujus amœnitas non ædificio, sed silva constabat. ipsum enim tectum antiqvitus constitutum, plus salis, qvàm sumptus habebat: in qvo nihil commutavit, nisi si qvid vetustate coactus est. Usus est familia, si utilitate judicandum est, optima: si forma, vix mediocri. namqve in ea erant pueri litteratissimi, anagnostæ optimi, & plurimi librarii, ut ne pedisseqvus qvidem qvisqvam esset, qvi non utrumqve horum pulchrè facere posset. pari modo artifices ceteri, qvos cultus domesticus desiderat, apprimè boni. neqve tamen horum qvemqvam, nisi domi natum, domiqve factum habuit: qvod est signum non solùm continentiæ, sed etiam diligentiæ. Nam & non intemperanter concupiscere, qvod à plurimis videas, continentis debet duci: & po-

tius diligentia, qvàm prætio, parare, non mediocris est industriæ. Elegans, non magnificus, splendidus, non sumptuosus; omni diligentia munditiem non affluentem affectabat. suppellex modica, non multa, ut in neutram partem conspici posset. Nec hoc præteribo, qvamqvam nonnullis leve visum iri putem, cùm imprimis lautus esset eqves Rom. & non parum liberaliter domum suam omnium ordinum homines invitaret, scimus non amplius, qvam terna millia æris, peræqve in singulos menses, ex ephemeride eũ expensum sumptui ferre solitum. Atqve hoc non auditum, sed cognitum prædicamus. Sæpè enim propter familiaritatem, domesticis rebus interfuimus. Nemo in convivio ejus aliud acroama audivit, qvàm anagnosten: qvod nos qvidem jucundissimum arbitramur. Neqve unqvam sine aliqva lectione apud eum cœnatum est: ut non minus animo, qvàm ventre convivæ delectarentur. Namqve eos vocabat, qvorum mores à suis non abhorrerent. Cum

tanta

tanta pecuniæ facta esset accessio, nihil de qvotidiano cultu mutavit, nihil de vitæ consvetudine; tantaqve usus est moderatione, ut neqve in sestertio vicies, qvod à patre acceperat, parum se splendidè gesserit: neqve in sestertio centies, affluentius vixerit, qvàm instituerat, pariqve fastigio steterit in utraqve fortuna. Nullos habuit hortos, nullam suburbanam, aut maritimam sumptuosam villam, neqve in Italia, præter Ardeatinum & Nomentanum, rusticum prædium: omnisqve ejus pecuniæ reditus constabat in Epiroticis, & urbanis possessionibus. Ex qvo cognosci potest, eum usum pecuniæ non magnitudine, sed ratione metiri solitum. Mendacium neqve dicebat, neqve pati poterat. Itaqve ejus comitas, non sine severitate erat, neqve gravitas sine facilitate: ut difficile esset intellectu, utrum eum amici magis venerentur, qvàm amarent. Qvicqvid rogabatur, religiose promittebat, qvòd non liberalis, sed levis arbitrabatur, policeri, qvod præstare non posset. Idem

in

in nitendo qvod semel admisisset, tanta erat cura, ut non mandatam, sed suam rem videretur agere. Nunqvam susceпti negotii eum pertæsum est. Suam enim existimationem in ea re agi putabat: qva nihil habebat carius, qvo fiebat, ut omnia M. & Q. Ciceronem Catonis, Hortensii, Auli Torqvati, multorum præterea eqvitum Rom. negocia procuraret. Ex qvo judicari poterat, non inertia sed judicio, fugisse reipub. procurationem. Humanitatis verò nullum afferre majus testimonium possum, qvàm qvòd adolescens idem seni Syllæ fuerit jucundissimus, senex adolescenti M. Bruto: cum æqvalibus autem suis, Qv. Hortensio. & M. Cicerone sic vixerit, ut judicari difficilè sit, cui ætati fuerit aptissimus. qvanqvam eum præcipuè dilexit Cicero, ut ne frater qvidem ei Qvintus carior fuerit, aut familiarior. Ei rei sunt indicio, præter eos libros, in qvibus de eo facit mentionem, qvi in vulgus jam sunt editi, sexdecim volumina Epistolarum, ab consulatu ejus usqve ad extremum tempus,

ad

ad Atticum missarum: qvæ qvi legat, non multùm desideret historiam contextam illorum temporum. Sic enim omnia de studiis principum, vitiis ducum, mutationibus reipub. perscripta sunt, ut nihil in iis non appareat: & facilè existimari possit, prudentiam qvodammodo esse divinationem. Non enim Cicero ea solùm, qvæ vivo se acciderunt, futura prædixit, sed etiam qvæ nunc usu veniunt, cecinit, ut vates. De pietate autem Attici qvid plura commemorem, cum hoc ipsum verè gloriantem audierim in funere matris suæ, qvam extulit annorum nonaginta, cùm esset septem & sexaginta, se nunqvam cum matre in gratiam rediisse, nunqvam cum sorore fuisse in simultate, qvam prope æqvalem habebat. Qvod est signum, aut nullam unqvam inter eos qverimoniam intercessisse, aut hunc ea fuisse in suos indulgentia, ut qvos amare debuerat, irâsci eis nefas duceret. neqve id fecit natura solùm, qvamqvam omnes ei paremùs, sed etiam doctrina, nam & principum philoso-

losophorum ita percepta habuit præcepta, ut iis ad vitam agendam, non ad ostentationem uteretur. Moris etiam majorum summus imitator fuit, antiqvitatisqve amator: qvam adeò diligenter habuit cognitam, ut eam totam in eo volumine exposuerit, qvo magistratus ornavit. Nulla enim lex, neqve pax, neqve bellum, neqve res illustris est populiRom. qvæ non in eo suo tempore sit notata: &, qvod difficillimum fuit, sic familiarum originem subtexuit, ut ex eo clarorum virorum propagines possimus cognoscere. Fecit hoc idem separatim in aliis libris, ut M. Bruti rogatu Juniam familiam à stirpe ad hanc ætatem, ordine enumeravit, notans qvi, à qvo ortus, qvos honores qvibusqve temporibus cepisset: pari modo Marcelli Claudii de Marcellorum, Scipionis Cornelii, & Fabii Maximi, de Corneliorum, & Fabiorum, & Æmiliorum qvoqve: qvibus libris nihil potest esse dulcius iis, qvi aliqvam cupiditatem habent notitiæ clarorum virorũ. Attigit qvoq; poeticen, credimus, ne ejus expers esset

svavitatis. Namq; versibus qvi honore, rerumq; gestarum amplitudine cæteros Romani populi præstiterunt, exposuit: ita, ut sub singulorum imaginibus facta, Magistratusqve eorum non amplius qvaternis, qvinisq; versibus descripserit. qvod vix credendum sit, tantas res, tam breviter potuisse declarari. Est etiam liber Græcè confectus, de consulatu Ciceronis. Hactenus Attico vivo edita hæc à nobis sunt. Nunc, qvoniam fortuna nos superstites ei esse voluit, reliqva persequemur: &, qvantum poterimus, rerum exemplis lectores docebimus, sicut suprà significavimus, SUOS CUIQVE MORES POPULUMQVE CONCILIARE FORTUNAM. Namqve hic contentus ordine eqvestri, qvo erat ortus, in affinitatem pervenit imperatoris divi Julii filii, cùm jam ante familiaritatem ejus esset consecutus nulla alia re, qvàm elegantia vitæ, qva cæteros ceperat principes civitatis, dignitate pari, fortuna humiliore. Tanta enim prosperitas Cæsarem est consecuta, ut nihil ei non tribuerit fortuna,

tuna, qvod cuiqvam ante detulerit & conciliarit, qvod civis Romanus qvivit conſeqvi. Nata eſt autem Attico neptis ex Agrippa, cui virginem filiam collocarat. Hanc Cæſar vix annicu-lam, Tiberio Claudio Neroni Druſilla nato, privigno ſuo, deſpondit, qvæ conjunctio neceſſitudinem eorum ſanxit, familiaritatem reddidit freqventiorem, qvamvis ante hæc ſponſalia non ſolùm, cùm ab urbe abeſſet, nunqvam ad ſuorum qvenqvam litteras miſit, qvin Attico mitteret, qvid ageret, inprimis qvid legeret, qvibusq; in locis, & qvamdiu eſſet moraturus: ſed etiam cum eſſet in urbe, & propter ſuas infinitas occupationes, minus ſæpe, qvàm vellet, Attico frueretur, nullus dies tamen temerè interceſſerit, qvo non ad eum ſcriberet, qvo non aliqvid de antiqvitate ab eo reqvireret: modò aliqvam ei qvæſtionem poeticam proponeret, interdum jocans ejus verboſiores eliceret epiſtolas. Ex qvo accidit, cùm ædes Jovis Feretrii, in Capitolio ab Romulo conſtituta, vetuſtate, atqve

inju-

injuria dejecta, prolaberetur, ut Attici admonitu, Cæsar eam reficiendam curaret. Neqve verò ab M. Antonio minus absens litteris colebatur: adeò, ut accuratè ille exul eum his terris qvid ageret, qvid curæ sibi haberet, certiorem faceret Atticum. Hoc qvale sit, facilius existimabit is, qvi judicare poterit, qvantæ sit sapientiæ, eorum retinere usum, benevolentiamqve, inter qvos maximarum rerum non solùm æmulatio, sed obtrectatio tanta intercedebat, qvantum fuit incidere necesse, inter Cæsarem, atqve Antonium, cùm sese uterq; principem non solùm urbis Romanæ, sed orbis terrarum esse cuperet. Tali modo cum VII. & LXX. annos complexisset, atqve ad extremam senectutem non minus dignitate, qvàm gratia, fortunaqve creviſſet (multas enim hereditates nulla alia re, qvàm bonitate est consecutus) tantaqve prosperitate usus esset valetudinis, ut annos triginta medicina non indiguisset: Nactus est morbum, qvem initiò & ipse, & medici contempserunt. nam

putarunt esse tenesmon: cui remedia celeria, faciliaqve proponebantur. In hoc cùm tres menses sine ullis doloribus, præterqvàm qvos ex curatione capiebat, consumpsisset: subitò tanta vis morbi in unum intestinum prorupit, ut extremo tempore, per lumbos fistula putris eruperit. Atqve hoc prius, qvàm ei accideret, postqvam indies dolores accrescere, febremqve accessisse sensit, Agrippam generum ad se arcessi jussit, & cum eo L. Cornelium Balbum, Sextumqve Peducæum. hos ut venisse vidit: in cubitum nixus, qvantam, inqvit, curam, diligentiamq; in valetudine mea tuenda hoc tempore adhibuerim, cùm vos testes habeam, nihil opus est pluribus verbis commemorare: qvibus qvoniam ut spero, satisfeci, nihilqve reliqvi feci, qvod ad sanandum me pertineret, reliqvum est, ut egomet mihi consulam. Id vos ignorare nolui. Nam mihi stat alere morbum desinere. namqve his diebus, qvicqvid cibi sumpsi, ita produxi vitam, ut auxerim dolores sine spe salutis.

Qvã-

Qvare à vobis peto primùm, ut consilium probetis meum: deindè ne fruſtrà dehortando conemini. Hac oratione habita, tanta constantia vocis atqve vultus, ut non ex vita, sed ex domo in domum videretur migrare, cùm qvidem Agrippa eum flens, atqve osculans, oraret atq; obsecraret, ne id qvod natura cogeret, ipse qvoqve sibi acceleraret: & qvoniam tum qvoqve posset temporibus superesse, se sibi, suisq; reservaret: preces ejus taciturna sua obstinatione compresit. Sic cùm biduum cibo se abstinuisset, subitò febris decesit, levioráve morbus esse cœpit. tamen propositum nihilo secius peregit. Itaqve die qvinto, postqvam id consilium inierat, pridie Kalend. Aprilis, Cn. Domitio. C. Sosio Coss. decesit. Elatus est in lecticula, ut ipse præscripserat, sine ulla pompa funeris, comitantibus omnibus bonis, maxima vulgi freqventia. Sepultus est juxta viam Appiam, ad qvintum lapidem in monumento Qv. Cæcilii, avunculi sui.

ATTI-

ATTICUS.

Axiomata.

1. *Civilis ac Domesticæ Prudentiæ Exemplum pulcherrimum Atticus fuit; qui civiles fugiens tumultus Athenas, Doctrinarum omnium inventrices, dicente Tullio, se contulit cumq; liberalissimis hic studiis moribusq; informatus græcè sic loqueretur, ut si Athenis natus esset, agnomen Attici ei inditum est. Aliàs atticè dicuntur dicere, dicendo qui præstant.*

2. *Solers Pueritia maturè bonæ Indolis edit specimina, & tenera ætas, ceræ surculoq; similis, facilè flectitur ac mollitur, ideoq; omnis doctrinæ capacissima est.* γερων τοδιδασκαλία *infelix, dum genua virent & sanguis est integer, humanitatis studia tractanda sunt, qui puteum fodit, cum fauces sitis tenet aut cadis cum fece siccatis parsimoniæ demum meminit, ingenti suo malo desipit:* δεινὴ ἐνὶ πυθμένι φαεδὼ, *gravis in fundo parsimonia Hesiod. l. 1. Op.*

3. *Bene-*

3. *Beneficentia genitrix benevolentiæ gloriæq;. Parcentes odit dexteras multitudo, benignas adorat. Titus Imp. munificentia sua, referente Svetonio in Vita, hunc titulum est meritus: amor & delicium generis humani. Cimonis ob liberalitatem & vita secura & mors acerba fuit. Noster in Vita ejus.*

4. *Beneficentiâ parta benevolentia & laudabilis est & durabilis. Posse liberalitate uti, non spoliantem se patrimonio, est pecuniæ fructus maximus. Cic. 2. Off. Græci opes appellant χρήματα ab usu, cum nullius argento color sit, nisi temperato splendeat usu Hor. l. 2. Carm. od. 2. Avarus quæ possidet, κτήματα potius, quàm χρήματα dixeris, cum usum ille divitiarum vel nesciat, vel negligat.*

Magnas inter opes Inops.

5. *Humanæ Prudentiæ fastigium propemodùm attigisse videtur, qui inimicos inter æmulosq; ita se gerit, ut neminem offendat, neq; cuiquam alienæ voluntatis suspicionem moveat. Atticus id præstitit, qui Ciceronem tàm arcta complexus est amicitia, ut inter rara Amicorum*

corum paria Ciceronem & Atticum Docti numerârint & nihilo tamen minus Hortensio, glorioſi laboris æmulo, intimè uſus eſt, Ciceronem dilexit, neq; Antonium, hoſtem illius acerrimum, averſatus eſt utriq; charus.

6. Amicum re maluit, quàm dictis præſtare Atticus, neq; minus rebus ſecundis præſentes coluit, quàm adverſis adjuvit abſentes, non fortunæ, ſed hominis amicus. Illud Euripidis obſervavit: τὰ τῶν φίλων κοινὰ. Multi hodiè Candidi ſimiles, qui ſemper in ore habebat τὰ τῶν φίλων κοινὰ & tamen nulli Amicorum quicquam bonæ rei impertiebatur, hinc Martialis l. 2. Epigr.

Das nihil & dicis, Candide, κοινὰ φίλων

Alcibiades dicere ſolebat & arcas & pectora Amicis patere ſemper oportere.

7. Plus in Amicitia valere debet morum honeſtas ac ſimilitudo, quàm ſanguinis propinquitas aut affinitas. Iſocrates in Orat. ad Demon. Patrem hujus Hipponicum eo nomine laudat, quod in Amicis deligendis exiſtimarit πολλῷ κρείτ-

πρείττω εἶναι φύσιν νόμου, τρόπον γένους, προαίρεσιν ἀνάγκης. *pluris faciendam esse naturam lege, mores genere, liberam voluntatem necessitate.*

8. *Qui civilibus se fluctibus committit, non magis in sua est potestate quàm qui maritimis jactatur. Quies in tumultu & seditione est optima, tutissima. Beatus ille, qui procul tumultibus sub lauru sua quietum deponit latus, neq; excitatur classico miles truci, neq; horret iratum mare, cui non leves somnos timor aut cupido sordidus auffert, multa petentibus desunt multa. Horatius variis locis.*

9. *Amicitia, quæ à puero cœpit & condiscipulatu, cum ætate accrescat, neq; quisquam quemquam amet, tanquam osurus: non enim amicitiarum, sicut aliarum rerum debent esse satietates, veterrimæ quæq; debent esse suavissimæ Cic. in Lælio. Exemplo sunt Canius & Atticus.*

10. *Sui cuiq; mores fingunt fortunam, vel ut Græcus id effert:* ἦθος ἀνθρώπῳ δαίμων, *DEUS aut fortuna hominis mores:*

mores: bonis enim benè, malis malè esse convenit, quisq; paria factis expectet præmia, ideoq; passus indigna, mores suos, non fortunam accuset.

11. Frugi Paterfamilias emat, non quod opus est, sed quod necesse est, inquit Cato. Cic. in parad. non esse cupidum, pecunia est, non esse emacem vectigal, ideoq; rem facturus caveat, ne cum ædificatore Horatiano

Diruat, ædificet, mutet quadrata rotundis.

12. Viro docto literata familia ornamento est. Talis fuit Attico eruditissimo, qui in convivio semper Anagnosten sive Lectorem more tum temporis usitato adhibuit, ut & corpus epulis, & animus vitæ morumq; præceptis pasceretur. Acroama dicitur id, quod auditur, uti Xenophon laudem dicit ἥδιστον ἀκρόαμα, etiam is ita dicebatur, qui cantu lepidis vé dictis convivas oblectaret, interdum & scurra ridicularius. Themistocles interrogatus, quod acroama omnium libentissimè audiret, respondit, res à me gestas optimè laudantis Cic. pro Arch.

Apud

Apud Senecam ep. 27. ridetur Calvisius Sabinus, qui, cùm nulla esset doctrina & memoria, ut docti nomen tueretur servos emebat eruditos, qui versus suggererent.

13. *Prudentia quasi divinatio quædam est. Homerus de Calchante:*

Ὅστε ἤδη τά τ' ἐόντα, τά τ' ἐσσόμενα, πρό τ' ἐόντα.

Qui noverat præsentia & futura & præterita. Bifronti Jano confertur vir prudens, eo quod & præterita recordetur & futura prospiciat. Quod oculus est in corpore, in animo mens est & prudentia.

14. *Honoris fuga tutior, quàm ambitio. Magni animi est, ait Sen. ep. 39. magna contemnere & mediocria malle, quàm nimia. Lipsius de se ep. 87. Cent. 3. Miscell. Lites fugi, honores fugi, cujus votum elegans annexum ep. 8. l. 1. Ep. M.*

Vitam si liceat mihi
Formare arbitriis meis,
Non fasces cupiam aut opes;

Non

Non clarus niveis equis
Captiva agmina traxerim &c.

15. *Sanguinis propinquitati animorum respondeat conjunctio. Maxima laus debetur Attico, qui cum Matre, quam nonaginta annorum extulit, nunquam in gratiam rediit, nunquam cum sorore, pæne æquali, in simultate fuit, aliàs rara est concordia Fratrum.*

16. Αὐτοχειρία *naturæ ac Scripturæ adversa legibus neutiquam probanda. Apud gentiles index ea habebatur animi Heroici, neq; rara sunt eorum exempla, qui ærumnosæ vitæ tædio, aut fugæ infamiæ aut doloris impatientia manus sibi violentas attulerunt. Cleombrotus Ambraciota, cùm nihil ei accidisset adversi, è muro se in mare abjecit Cic. l. 1. Tusc. Quæst. Corellius inedia semet necaturus, cibum admoventi Medico ait:* Κέκριμαι, *decrevi Plin. l. 1. ep. 12. Cato gladio se confossurus apud Sen. c. 24. quoniam, inquit, deplorata sunt res generis humani, Cato deducatur in tutum. Scipio Pompeji Socer ferro se transverberavit & interrogantibus, ubi*

Impe-

Imperator esset, Imperator, inquit, benè se habet. Addit Seneca rectè: Sapiens non fugere debet è vita, sed exire. Idem autem sui quasi immemor Epist. 70. αὐτοχειρίαν approbare videtur inquiens: placet? Vive: non placet? Licet eò reverti, unde veniſti. Melius Cic. in Somn. Scip. Piis omnibus retinendus est animus in custodia corporis, neq; injussu ejus, à quo ille est nobis datus, ex hominum vita migrandum, ne munus humanum assignatum à DEO defugisse videamur. Hinc prudentiores αὐτόχειρας ad timidos potiùs, quàm ad fortes Viros referendos esse censent. Sed manum de tabula, Censor adest, quem optamus, imò & speramus æquissimum.

Atticus.

NEc clara te Stirpe satum mea Musa silebit,
Attice, quem dulci gremio Venus Attica fovit
Et multo sparsit sale dotavitq; lepore
Ingenio linguaq; potens auroq; beatus,
Pæne puer, sponte ipse lares transportat Athenas, Cui-

Civiles fugiens motus, dextraq; benigna
Auram, haut affectans, populi statuamq; meretur
Invisus nulli, nulli probitate secundus,
Jucundus Senio vivit charusq; Juventæ.
Tulliadæ vel Fratre magis dilectus amico,
Non fugit Hortensi consortia, fidus Achates
Antoni & Bruti, quos tum capitalibus hostes
Dissensisse odiis patet hinc tot civibus Urbis
Naufragium passis vitæ, famæ atq; bonorum,
Semotus turbis, tranquillum navigat æquor
Atticus, & nullis gemmis venalia carpit
Otia, cum Tulli clarum Caput hosticus ensis
Demetat. Afflictos, hominis, non sortis Amicus,
Re, non promissis juvat, &, quos maxima captat

Pars

Pars hominum ſtudio inſano, contemnit Honores,
Parcus, non avidus, luxu ſine ſplendidus odit
Immodicos ſumtus, Eqvitum Decus, aurea ſervans
Laudati præcepta modi, Modus optima rerum eſt.
Sermones lingvæ doctos utriusq; miniſtros
Eſſe jubet ſemper præſtò ſibi convivanti,
Sic epulis aptis animum cum corpore paſcens
Neſcius offenſæ aut rixæ cum Matre, Sororem
Effert, Auguſto charus, creſcenteq; florens
Laude Senex vitam degit, morbiq; dolores,
Pertæſus, Medico qvoq; deſperante ſalutem,
Nutrimenta negat ſibi nutrimentaq; febri,
Atq; ultro moritur tumuloq; infertur, Amico,
Officii memori, lacryma ſpargente favillam.

Verba

Verba Corneliæ Graccho-rum Matris, ex Cornelii Nepo-tis libro excerpta.

DICIS pulchrum esse inimicos ul-ciſci: id neqve majus: neqve pulchrius cuiqvam atqve mihi esse vi-detur, sed si liceat republ. salva ea per-seqvi. sed qvatenus id fieri non potest, multo tempore, multisqve partibus inimici nostri non peribunt, atqve uti nunc sunt, erunt. potius qvàm respub. profligetur atqve pereat.

VERBIS conceptis dejerare ausim, præterqvàm, qvi Tiberium Grac-chum necarunt, neminem inimicum tantùm molestiæ, tantumqve laboris, qvantum te ob has res mihi tradidisse, qvem oportebat omnium eorum qvos antehac habui liberos, partes eorum tolerare atqve curare, ut qvàm mini-mum sollicitudinis in senecta haberem, utiqve qvæcunqve ageres, ea velles ma-ximè mihi placere atqve uti nefas ha-

beres

beres rerum majorum adversùm meam sententiam qvicqvam facere, præsertim mihi cui parva pars vitæ supereſt, ne id qvidem tam breve spatium potest opitulari, qvin & mihi adverseris, & rempub. profliges, deniqve qvæ causa erit, & qvando desinet familia nostra insanire? & qvando modus ei rei haberi poterit? & qvando desinemus & habentes, & præbentes, molestiis desistere? & qvando perpudescet miscenda atq; perturbanda repub. Sed si omnino id fieri non potest, ubi ego mortua ero, petito tribunatum, facito qvod lubebit, cum ego non sentiam: ubi mortua ero, parentabis mihi, & invocabis Deum parentem in eo tempore, ne pudet te eorum Deûm preces expetere, qvos vivos atqve præsentes, relictos atqve desertos habueris? ne ille sinat Jupiter, te ea perseverare, nec tibi tantam dementiam venire in animo etsi perseveras, vereor ne in omnem vitam tantum laboris culpa tua recipias, uti in nullo tempore tute tibi placere possis.

FRAGMENTA CORNELII NEPOTIS.

Ex I. Chronicorum libro.

HOMERUS & Hesiodus vixerunt ante Romam conditam annis circiter centum & qvinqvaginta. *Gellius lib.17. cap.21.*

Ex 1. librorum de vita Ciceronis.

M. Tullius Cicero tres & viginti annos natus, primum campum judicii publici egit, Sextumqve Roscium patricidii reum defendit. *Gellius lib.11. cap.28.*

Ex 1. libro de viris illustribus

Carisius lib.2. citat vocem subinde, *& ex 15. idem lib.1. citat illum modum dicendi.* Harum partum, *& ex 16. illa verba,* A fratre patruele rem necessitudinis, sed personam ostendat.

Ex

Ex incerto libro de viris illustribus.

Justè, venustéqve admodum reprehendisse dicitur A. Albinum M. Cato Albinus, qvi cum L. Lucullo consul fuit, res Romanas oratione Græca scriptitavit. In ejus historiæ principio scriptum est ad hanc sententiam: Neminem succensere sibi convenire, si qvid in his libris parum compositè aut minus eleganter scriptum foret. Nam sum, inqvit, homo Romanus, natus in Latio: Græca oratio à nobis alienissima est. Ideoqve veniam, gratiamqve malæ existimationis, si qvid esset erratum, postulavit. Ea cùm legisset M. Cato, Næ tu, inqvit, Aule, nimium nugatores, cùm maluisti culpam deprecari, qvàm culpa vacare. Nam petere veniam solemus, ut cùm imprudentes erravimus, aut cùm compulsi peccavimus. Tibi, inqvit, oro te, qvis perpulit, ut id committeres, qvod priusqvam faceres, peteres ut ignosceretur, *Gellius lib. 11. cap. 8.*

Archilochus Tullo Hostilio Romæ re-

gnante jam tunc fuit poëmatis clarus, & nobilis. Idem lib. 17. cap. 21.

Ex libris Exemplorum.

A virgine Vestale. *Hoc citat Carisius lib. 1. ex exemplorum libro.*

Multis in senatu placuit ut ii, qvi redire nollent, datis custodibus ad Annibalem deducerentur: sed ea sententia numero plurium, qvibus id non videbatur, superata est, ii tamen, qvi ad Annibalem non redierunt, usqve adeò intestabiles, invisiqve fuerunt, ut tædium vitæ cæperint, necemqve sibi consciverint. *Gellius lib. 7. cap. 18. ex 5. exemplorum libro.*

Ex incerto libro.

Ædis Martis est circo flaminio architectata ab Hermodoro Salaminio *Priscianus libro 8.*

Eudoxus qvidam mea ætate, cùm Lathyrum Regem fugeret Arabico sinu egressus. Gades usqve pervectus est. *Plinius lib. 11. cap. 67.*

Latitudinis ubi minimum septem millia

millia passuum, ubi verò plurimum decem millia. *Plinius Proœmio lib.3.*

Melpum opulentia præcipuum ab Insubribus & Bajis, & Senonibus deletum est eo die qvo Camillus Vejos cepit. *Idem Plinius libri ejusdem cap.17.*

Istro in Adriam effluenti è Danubio amne ex adverso Padi fauces contrario eorum percussu mari interjecto dulcescente. *Plinius libri ejusdem cap.18.*

Alpes in latitudinem C. M. *Idem lib. ejusdem cap.19.*

Cerne Insula abest ex adverso maximè Carthaginis à continente passus mille, non amplior circuitu duobus millibus. *Idem lib.6. cap.31.*

Post accipenserem præcipua auctoritas fuit lupo, & asellis. *Idem l.9. c.18.*

Me juvene violacea purpura vigebat, cujus libra denariis C. veniebat, nec multò pòst rubra Tarentina. Huic succesit dibapha Tyria, qvæ in libris denariis mille non poterat emi. Hac P. Lentulus Spinter Ædilis Curulis primus in prætexta usus improbatur, qva

Purpura qvis non jam triclinaria facit. *Idem lib. 19. cap. 29.*

Turdi paulò ante Augusti principatum cœpti saginari.

Ciconiæ magis placent, qvàm grues. *Idem. lib. 10. cap. 23.*

Magnitudo Loci arboris brevis, *Idem lib. 13. cap. 17.*

Vinum exprimitur illi, simile mulso, qvod ultra denos dies non durat, baccæqve contusæ cum ad alica cibos doliis conduntur. *Idem Plinius ibidem.*

Scandula contecta fuit Roma ad Pyrrhi usqve bellum, annis qvadringentis septuaginta. *Idem lib. 16. cap. 10.*

Ante Syllæ victoriam duo tantùm triclinia Romæ fuerunt argentea. *Idem lib. 33. cap. 11.*

Cleophantus Corinthius secutus est in Italiam Dæmaratum Tarqvinii Prisci Romani regis patrem, fugientem à Corintho injurias Cypselli tyranni. *Idem lib. 35. cap. 3.*

Primus Romæ parietes crusta marmoris operuit totius domus suæ in Cælio

Cælio monte Mamurra Formis natus, eqves Romanus præfectus fabrorum C. Cæsaris in Gallia. *Idem lib. 36. cap. 6.*

Mamurra primus totis ædibus nullam nisi è marmore columnam habuit, omnes solidas è Caristio, aut Lunensi. *Idem Plinius ibidem.*

Fuit magno miraculo, cùm P. Lentulus Spinter amphoras ex Onyche Chiorum magnitudine cadorum ostendisset: post qvinqvennium deinde triginta duorum pedum longitudine vidi. *Idem libri ejusdem cap. 7.*

INDEX.

3	Aristides	58
7	Alcibiades	112
16	Agesilaus	319
24	Atticus	435
5	Cimon.	87
9	Conon.	457
12	Chabrias	204
24	Cato	428
10	Dion.	169
14	Datames	232
15	Epaminondas	266
17	Eumenes	334
22	Hamilcar.	395
23	Hannibal	403
4	Iphicrates	195
6	Lysander.	101
1	Miltiades	6
4	Pausanias	69
15	Pelopidas	309
18	Phocio	360
20	Reges	384
2	Themistocles	28
8	Thrasybulus	145
13	Timotheus	218
19	Timoleon.	370

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn778716805/phys_0504
DFG

INDEX
Vocabulorum Geographicorum breviter expositorum.

A.

Acarnanes. *Populi in Epiro luxu & mollitie infames, regio eorum dicta est Acarnania, cujus caput Ambracia, quæ nomen dedit Ambracio Sinui celebratissimo.*

Ace *in Sacris* Acon, *postea* Ptolemais *dicta, Urbs Phœniciæ in litore sita Tyro vicina.*

Adrumetum, *oppidum Africæ min.*

Ægæ *vel* Ægæa *oppidum Macedoniæ ad Aliacmonem fl. qui in Thermaicum Sinum se effundit.*

Ægates *Insulæ è regione Lilybæi promontorii Siciliæ sitæ, ubi Catulus classem Punicam instructissimam navali prælio vicit & bello Punico 1. finem imposuit.*

Ægos *Thraciæ fluvius memorabilis clade Atheniensium victo Philocle Duce & amissis exercitu & classe victore Lysandro.*

Ægyptus *Africæ regio opulentissima, imbrium expers, mirè tamen fertilis Nilo certis eam temporibus irrigante. Hæc olim Apim bovem, canem felem, &c. coluit.*

Æolis *Regio Asiæ minoris ad mare Ægeum, Ioniæ contermina, Urbs vetusta in ea Cuma.*

Africa. *Tertia nostræ Continentis pars, vasta magis, quàm frequens, sic dicta ab Afro, Herculis filio, vel ab α privativo & φρίκη, horror frigoris, quod frigore minus, quàm aliæ orbis partes, infestetur. Africa minor est regio maritima, cujus caput Carthago.*

Alpes. *Altissimi montes Italiæ, quam à Gallia, Vindelicia, Norico, Pannonia separant varia sortiti nomina, dicuntur enim Maritimæ, Grajæ, Pennina, Cottiæ. Alpes invias dixere Prisci, at Hannibal ingenti cum exercitu eas transiit, scilicet invia Virtuti nulla est via.*

Am-

Ammon. *Urbs in Cyrenaica Regione & Templum Iovis Ammonis oraculo celebre, ab arenis, quibus latissime cinctum est, sic dictum Ammonis Templum, Nemus, ut & fontem Solis egregie describit Curt. l. 4.*

Amphipolis. *Urbs Thraciæ sic dicta, quod Strymone fl. undiq; cingatur, colonia Atheniensium, variantem sæpe fortunam experta.*

Apenninus. *Mons Alpibus ad Vada Sabatia annexus mediam Italiam secat ad Siculum usq; fretum protensus.*

Appia via, *ab Appio Cæco Roma Brundisium usq; silice strata.*

Apulia. *Italiæ regio ad mare superum extensa à Frentone fl. usq; ad ultimas fauces sinus Adriatici. In ea Garganus m. Aufidus fl. Brundisium portu nobile & Tarentus, quam vide suo loco.*

Arcadia. *Regio mediterranea Peloponnesi, sylvis undiq; cincta, pecoris abundans, unde Pastorum ille Deus Pan, Deus Arcadiæ dicitur, incolæ Musices studiosi, hinc à Marone dictum:*

— — — *soli cantare periti*
Arcades.

plurimos asinorum greges aluit, hinc Arcadicum pecus asinus à Poëtis dicitur, & Arcadicus juvenis homo insulsus & stupidus.

Ardea. Oppidum Latii ab Vrbe viginti passuum millia distans, nunc vicus. Ardeatinum dicitur prædium Attici in agro Ardeatino situm.

Argivi. Græci appellati ab Argia regno Peloponnesi, à cujus etiam antiquo Rege Danao iidem Danai dicuntur.

Argos. Caput Argiæ jam dictæ. Ab equis generosis Hippium appellari solet, aptum equis Horat. od. 7. l. 1. Carm. illustratum morte Pyrrhi Regis Epirotici.

Armenia duplex, Major & Minor. Illa trans Euphratem montes habet Gordiæos, in quibus arca Noæh resedisse dicitur. Hæc cis Euphratem, in qva mons Antitaurus.

Artemisium Promontorium Eubœæ. Est autem Promontorium mons prominens in litore marino.

Asia. Continentis nostræ pars maxima ab Asia Nympha Vxore Japeti sic dicta, ut ajunt. Duplex illa est: Major & Minor.

Aspen-

Aspendii. *Aspendos Urbs est Pamphyliæ in Asia min. ab Argivis condita in edito colle.*

Asta. *Græca vox est, ἄστυ Urbs, Athenæ ita dictæ sunt, & Arx earum πόλις vel ἀκρόπολις.*

Athenæ *clariores, quàm ut indicari egeant. Urbs princeps Atticæ Regionis Cluverio, Artium inventrices Ciceroni, Civitas, quæ antiquitate, humanitate, doctrina præstitit omnes. Noster in Attico. In ea Areopagus locus judiciis exercendis destinatus, Judices hic severissimi judicabant Areopagitæ dicti, hinc proverbium: Areopagita severior. Prytaneum locus, ubi præclarè de Rep. meriti publicè alebantur. Quatuor illustres Scholæ: Academia, Lyceum, Poecile porticus & Cynosarges. Vid. Geographi.*

Attis *vel* Attica *regio olim & Acte, quia mari adjacet, & Cecropia dicta, à Cecrope antiquissimo Rege, Regio totius Græciæ clarissima, cujus caput Athenæ Rhamnus vicus à quo Nemesis Rhamnusia & promontorium Sunium. Attica Eloquentia pro optima usurpatur. Atti-*

ca fides Punica opponitur. Testis Atticus i. e. verus & incorruptus.

B.

Babylon. *Urbs amplissima ad Euphratem, caput Chaldæorum, à qva vicina Regio dicitur Babylonia, Semiramidis illa opus vulgò perhibetur, at ex Sacris colligitur à Nimrodo eam esse conditam. Hebræis Babel à Lingvarum confusione dicta. In circuitu eam duodecim milliaria germanica complexam fuisse auctor est Strabo. Descriptionem vide apud Curt. l. 5. Muri tam lati erant, ut qvadrigæ inter se occurrentes sine periculo commeent, horti etiam pensiles hic visebantur. Hodie jacet in ruinis sed alia ad Tigrim sita Bagdad vulgò appellatur Babylon.*

Bithynia. *Regio Asiæ Thraciæ opposita, Ponto contermina, cujus oppidum ad Bosphorum Chalcedon est, ubi qvarta Synodus Oecumenica habita, hodie Galata vocatur.*

Bœotia. *Regio media inter Atticam regionem & Thessaliam, cujus incolæ robusti magis*

magis quàm ingenioſi, hujus caput Thebæ.

Borni. *Caſtellum ignobile Thraciæ.*

Byzantium. *Vetuſta Urbs Metropolis Thraciæ ad Boſphorum Thraciæ ſita in ultimis Europæ finibus, à Conſtantino M. aucta Conſtantinopolis & Nova Romæ dicta, Sultani Turcici ſedes potentiſſima.*

Byzia. *Arx Thraciæ Regum in Sithonia ejusdem regione Orpheo Vate nobilitata.*

C.

Cadméa. *Arx Thebana à Cadmo Conditore, qui primus ex Phœnicia literas in Græciam intuliſſe dicitur, ſic dicta.*

Caduſii. *Cappadocum accolæ, populi inter Pontum Euxinum & Mare Caſpium ſylvas montesq; incolentes, feroces & bellicoſi.*

Cannæ. *Ignobile Apuliæ oppidum ante memorabilem illam pugnam Hannibalis, qua cæſi ſunt Romanorum quadraginta amplius millia. Sic ad Carras in Meſopotamia Craſſus à Parthis victus cæſusq; eſt cum toto exercitu. Ita Cannæ & Carræ inſignis fuere clade Romana.*

Capitolium. *Jovis Templū magnificentiſſimum*

mum in Tarpejo vel Capitolino monte pæne qvadratum, cujus ambitus octo erat jugerum, à Capite humano eo loci reperto sic dictum. Vid. Antiq. Rom. Ab hoc & aliarum Urbium Templis & Arcibus Capitolii nomen inditum est.

Cappadocia. Potens Asiæ regio ad pontum Euxinum media inter Galatiam & Armeniam. Amazonum hîc sedes fuisse perhibetur. Incolæ aliàs habiti mendaces & fraudulenti, unde natum proverbium: τρία κάππα κάκιστα, Cretenses, Cilices, Cappadoces.

Capua. Romæ olim æmula sic dicta, qvasi Caput Campaniæ, qvæ beatissima Europæ regio nunc Terra di Lavoro dicitur, ruinæ ejus hodiè visuntur haut longè à Capua Nova. Hannibalem prima ingenti & suo & hostis malo recepit, nam à Romanis haut multò post expugnata vastataq; est & hostis luxu ac mollitie enervatus.

Captiani. Populi obscuri, qvorum sedes certa ignoratur, unde alii Caspiani legunt à mari Caspio vel à Caspa Vrbe Africæ min. Conf. Notas Cl. Kirchmaieri.

Car-

Cardia. *Vrbs in Chersoneso Thraciæ sita cor repræsentans,* καρδία *gr. cor. Sinui, cui adjacet, nomen facit, qui vocatur Cardianus.*

Cares. *Incolæ Cariæ regionis Asiæ minoris. Cares pro servis sæpè usurpapantur, quia servili erant ingenio & vili stipendio conducti bella gerebant. Vide Notas.*

Carthago. *Metropolis Africæ propriè dictæ terra mariq; potens à Pœnis, Duce Didone, condita, Romæ æmula, à Romanis tribus bellis victa, tandem à Scipione Minore incendio deleta est, è cujus ruinis crevisse dicitur Tunetum, Pyratica infame, uti & Algira & Tripolis Barbariæ.*

Cataonia. *Regio supra Ciliciam, Cappadociæ confinis, saltuosa ac proinde latrociniis infesta.*

Chaones. *Incolæ Chaoniæ in Epiro, à qua glandes & columbæ Poëtis Chaoniæ dicuntur.*

Chalcis. *Vrbs Euboeæ insulæ in mari Ægeo, in qua Aristoteles exul mortuus est.*

Chersonesus. *Lat. Peninsula. Chersonesi celebriores 1. Peloponnesus. 2. Cimbrica.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn778716805/phys_0513
DFG

ca, 3. Aurea in India. 4. Thracia ad Propontidem.

Chius. Insula maris Icarii adjacens Ioniæ optimi vini abundans. Chius risus de lascivo luxu proverbialiter dicitur.

Cilicia. Hodiè Carmania regio Asiæ minoris litoralis, in qua fuit Tarsus Apostoli Pauli patria.

Citium. Oppidum Cypri.

Clastidium. Oppidum non longè à Pado situm in Gallia Togata Cispadana.

Cnidus. Vrbs Doridis Ægeo mari adjacens in extrema peninsulæ parte, cui vicina Halicarnassus.

Corcyra. Nunc Corfu à metropoli sic dicta, Alcinoi olim hortis nobilis Venetis paret.

Corinthus. Caput Achajæ in Isthmo sita Corinthiaco inter utrumq; sinum, Corinthiacum & Saconicum, totius Græciæ lumen dicente Cicerone, Summa ejus Arx Acrocorinthus. Ob causam non satis justam eversa à Jure Romanorum L. Mummio. Æs Corinthiacum i. e. optimum. Vid. Adagia.

Coronea. Vrbs Bœotiæ vicina Chæroneæ, quæ patria Plutarchi.

Cre-

Creta. *Insularum græco litori objacentium maxima Minóe Rege, Jovis sepulchro in monte Ida & Labyrintho clara. Hecatompolis olim à centũ Vrbibus appellata, ab Vrbe principe hodie Candia vocatur Venetæ ditionis, partem tamen Turca occupavit & hactenus Veneti ac Turcæ de possessione hujus insulæ bella gerunt. Cretenses alias malæ famæ fuerunt. Vide proverbium: Cretiza cum Cretensi.*

Crimessus. *Siciliæ fl. versus Lilybæum in Libycum mare defluens.*

Cyclades. *Quinquaginta amplius. Insulæ in mari Ægeo, quod Delum natalem Apollinis & Dianæ instar circuli cingant, Cæteræ in eodem mari sparsæ dicuntur Sporades.*

Cyme *vel* Cuma. *Vrbs Æolidis in ora maritima, cujus incolæ habiti tardi & stupidi, unde proverbium: Cumani serò sapiunt. Aliæ fuere Cumæ in Campania, unde Sibylla quædam Cumana dicitur.*

Cyprus. *Insula olim Macaria dicta, Veneri sacra, in Sinu Isico inter Ciliciam & Syriam, in qua Vrbes nobiles Paphos & Salamis cum Nemore Idalio.*

Cyre-

Cyrene *Africæ urbs nobilis ac potens, cui vicina regio Cyrenaica, dicitur, aliàs dicta à quinq; Vrbibus Pentapolitana, media inter Syrtim majorem & Regionem Marmoricam. Vrbs à Græcis condita.*

Cyzicus. *Mysiæ min. Vrbs ad Propontidem in Insula pæne Continenti juncta ac proinde munitissima.*

D.

Deceléa. *Castellum medio fere spacio inter Athenam & Bœotiam loco campestri situm ingenti Athenienſium malo à Lacedæmoniis munitum.*

Delphi. *Phocidos Oppidum ad radices Parnassi Musarum montis oraculo Apollinis olim celebre.*

Dodona. *Vrbs Epiri Oraculo Jovis vetustissima clara, quæ quercetis undiq; cincta benignè olim victum præbuit βαλανηφάγοις ἀνδράσι, Virgil. 1. Georg. postquam victum Dodona negavit.*

Dolopes. *Populi Thessaliæ Pyrrhi ad Trojam comites vid. Seiv. in l. 2. Æn. Eosdem Plinius Etoliæ incolas facit.*

Elis

E.

Elis. *Regio Peloponnesi Achajæ proxima, cujus caput Elis, quam Penéus fl. præfluit, aquis abundans.*

Ephesus. *Ioniæ urbs maritima in qua Templum Dianæ erat magnificentissimum ab Herostrato incensum, ut immortalem nomini suo memoriam conciliaret.*

Epirus. *Hod. Canina à canibus Molossis, regio maritima inter Celidnum & Achelorum fluv. In ea mons celebris Pindus & Arx Buthrotum.*

Eretria. *Urbs vetusta & potens Euboeæ.*

Erichthon. *Oppidum incertæ positionis. Alii legendum hic putant Crithotem, cujus meminit Plin. l. 4. c. 11.*

Eryx. *Nomen montis & oppidi Drepano vicini in Sicilia, in eo monte Templum erat Veneris, à quo Venus Poëtis Erycina dicitur.*

Etruria, *quæ & Thuscia & Tyrrhenia, Italiæ regio ad mare Thuscum, Tyrrhenum & Inferum. Caput ejus hodie Florentia ad Arnum fl. Magni Ducis sedes.*

Euboea. *Nunc Negraponte Insula maris Ægéi opposita Bœotiæ, à qua angusto mari*

mari separatur, quod Euripum vocant fluctuum fluxu & refluxu memorabilem. Princeps in ea Urbs Chalcis. Caphareum promontorium illud est, ad quod Græci post excidium Trojæ tempestate acti naufragium fecere.

Europa. *Continentis nostræ pars minima, at cultissima, sic dicta ab Europa Agenoris filia à Jove rapta, ut est in fabulis, Horat. od. l. 3. — bene ferre magnam disce fortunam, tua sectus orbis nomina ducet.*

F.

Falernus ager. *Ager Campaniæ ad Vulturnum fl. vini feracissimus, unde Hor. od. 20. l. 1.*

— — mea nec Falerna
Temperant vites, neq; Formiani pocula colles.

Fregellæ. *Volscorum oppidum ad dextram ripam Liris fluv. medii inter Latium & Campaniam.*

G.

Golonæ, *scribunt alii Colonæ. Locus in agro Troade, minus nobilis.*

Gortyna. *Urbs Cretæ olim potens nunc vicus exiguus.*

Græ.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn778716805/phys_0518
DFG

Græcia. *Vltima Europæ regio versus Orientem, Musarum Parens & Artium inventrix, de qvâ Horatius:*

Græcia capta suum Victorem cepit & Artes
intulit agresti Latio.

nunc sub jugum devoluta Turcicum ipsa barbarie magis est barbara. Suspectæ olim fidei fuisse videtur, unde Eurip. in Iphig. Taur. Ἑλλὰς πιστὸς οἶδεν οὐδὲν.

Graji. *Iidem qvi Græci. Horat. in Arte Poët.*

Grajis ingenium, Grajis dedit ore rotundo
Musa loqvi.

Grajus Saltus. *Ea pars Alpium qvæ Italiam à Gallia separat sic dictus ab Hercule Grajo, qvi primus hac transîsse dicitur.*

Grunium. *Phrygiæ qvoddam castrum obscuri nominis.*

H.

Halicarnassus. *Vrbs in Doride, qvæ est regio Asiæ minoris, qvam vocant Natoliam, patria Historicorum Herodoti & Dionisii Halicarnassensis.*

Helle-

Helleſpontus. *Anguſtiæ maris inter Seſtum & Abydum ſeptem ſtadiorum intervallo Europam ab Aſia dirimentes. Origo nominis à fabula petitur, nempe cum Phryxus & Helle Athamantis Regis in Theſſalia liberi furorem novercæ fugerunt arieti aurei velleris inſedentes, Helle hic decidit & periit. Phryxus ad Colchos incolumis pervenit. Hodie hîc viſuntur duo caſtella munitiſſima, quæ Turcæ vocant Dardanelli.*

Helotes. *Servi Spartanorum, quorum opera ruri maximè utebantur. Helas oppidi nomen fuiſſe dicitur, quod Spartani occuparunt incolis ſub jugum ſervitutis miſſis. Nomen deducunt ab inuſit. ἕλω, pro quo dicitur αἱρέομαι, capio.*

Hippo. *regius, nunc Bonna urbs Numidiæ cujus olim Epiſcopus fuit Auguſtinus Alia urbs Hippo Diarrhytos Uticæ vicina in Africa minori.*

Hiſpania. *Martiarum gentium nutrix, ab Hiſpano Rege vel ab Hiſpali urbe, vel ἀπὸ τῆς φωνῆς, ab incolarum olim raritate ita dicta, mari undiq; cingitur, niſi qua parte Pyrenæis jugis Galliæ adhæret*

hæret Iberia priscis ab Ibero fl. divisa in Citeriorem quæ & Tarraconensis Provincia & Ulteriorem, quæ dividitur in Bœticam & Lusitaniam. Vrbs regia Madritium. Conf. Geogr.

I.

Ionia. *Asiæ minoris regio in ora maritima maris Ægei. In eam & vicinas Græci misere colonias, unde nata est dialectus Ionica. Caput Ephesus.*

Ister. *Danubius Europæ fluviorum maximus ad Savi confluentes Ister dicitur & vastis sex ostiis in Pontum Euxinum irrumpit.*

Italia, *à bobus, quos Græci veteres dixere ἰταλὸς, vel potius ab Italo Rege sic dicta, à situ Hesperia, montibus & aquis, tanquam vallo fossâque naturâ munita, beatissima totius Europæ regio. Sedes olim Imperii. Hodiè Papa, Hispanus, Veneti, Dux Thuscia maximam ejus partem sibi vendicant.*

L.

Lacedæmon & Lacones. *Vid. Sparta.*

Lampsácus. *Urbs Mysiæ minor. ad Hellespontum sita, impurissimi quondam Priapi cultrix, qui ab ea dictus est Lampsacenus.*

Latium. *Notissima Italiæ regio, quam Roma nobilitat. Latinus Rex nomen illi dedit, alii à latendo denominatam putant, quod Saturnus regno à Jove filio pulsus hîc latuerit, à Jano Rege receptus.*

Lemnos. *Insula maris Ægei adjacens Thraciæ. Lemnia terra Medicis nota est. Lemnia mala i. e.*

ingentia: mulieres enim Lemnia aliquando maritorum graveolentia offensæ eos omnes occidisse dicuntur.

Lesbus. Insula maris Ægei Asiæ attributa, hodie Metellino à Metropoli Mitylene vocatur. Alcæi Poëtæ & Sipphus Poëtriæ natalibus clara, hinc Lesbóum barbiton. Horat. od. 1. l. 1. Carm. neq; ignota sunt proverbia: Lesbia Regula & post Lesbium Cantorem: Lesbii enim celebres Cantores sunt habiti.

Leucosyri. Incolæ Cappadociæ aut Catаoniæ Græcis ita dicti ab albo colore, λευκὸς, albus, ad differentiam aliorum Syrorum, quorum plerique fortasse fuere nigris oculis nigroq; capillo.

Leuctra. Oppidum Bœotiæ ad quod Epaminondas Spartanos ad internecionem cecidit. Est & Leuctrum in Laconia.

Ligures. Populi Liguriæ, quæ regio est Italiæ inter Varum & Macram amnes ad mare Ligusticum. Urbs eorum Genua.

Lucani. Inferi maris accolæ regio eorum Lucania, Campaniæ vicina, in qua Pæstum, hinc rosaria Pæsti dicta, Crotona Milone athleta nobilis & Sybaris luxu infamis.

Lusitania. Tertia pars Hispaniæ à Luso vel Lauso Bacchi, ut volunt, comite sic appellata Portugalliæ nunc regnum complectitur partemq; Castiliæ veteris & novæ, Castiliarum antehac Regibus morigera suo nunc Regi paret. Caput est Lisbona, Regia sedes ad ostium Tagi auriferi.

Lydia. Regio Asiæ minoris, inter Cariam & Mysiam, in qua Tmolus mons croci ferax & Pactolus fl. auriis arenis celebratus. M.

M.

Macedonia. *Regio media inter Thessaliam & Thraciam, à qva Strymone fl. separatur. Reges ejus olim celeberrimi Philippus & Alexander M. Pella oppidum, unde Alexander Pellæus juvenis, & Pieria, Musarum parens, qvæ ab ea dicuntur Pierides.*

Magnesia. *Urbs Cariæ ad Maeandrum fl.*

Mantinea. *Urbs Arcadiæ Megalopoli proxima.*

Marathon. *Oppidum Attica, cui vicinus campus Marathonia Persarum clade nobilis & nocturnis spectris, ut refert Pausanias, infestus.*

Massagetæ. *Scytharum gens nobilissima, qvæ Cyrum cum toto exercitu delevit, hodiè vocantur Kalmucki criniti Tartari.*

Media. *Regio Asiæ maj. media inter Persidem & mare Caspium, subest Persarum Regi & hodie vocatur Schirvvan.*

Messene. *Messeniæ urbs Spartæ vicina. Messenii gravia cum Spartanis bella gessere tandemq; victi ab his & in servitutem redacti proverbio locum fecerunt: Messena servilior.*

Miletus. *Cariæ urbs dives & luxuriosa Thaletis Sapientis patria.*

Mitylene. *Nunc Metellino, urbs Lesbi nunc Lesbus.*

Molossi. *Epiri populi, à qvibus regio dicta Molossia, nunc Pandosia & canes Molossi.*

Munichia. *Collis ad mare prope Athenas muro cinctus.*

Mutina, *nunc Modena. Urbs in Gallia cisspadana Augusti & Antonii bellis civilibus nota.*

Mycale. *Mons Cariæ & urbs Cypri, ad qvam Cimon Phœnices navali prælio vicit.*

Myus. *Urbs Asiæ.*

N.

Naxus. *Insula maris Ægei una de Cycladibus, vicina Seripho, cujus ranæ mutæ esse dicuntur, unde proverbium est: Rana Seriphia.*

Nilus. *Ægypti fl. notissimus, ortus in montibus Lunæ. Ægyptum imbrium expertem statis temporibus irrigat & fœcundat, auras non expirat, Crocodilum alit septemq; ostiis in mare mediterraneum se effundit.*

Nomentum. *Oppidum inter Anienem & Alliam fl. in Latio, unde Attici prædium Nomentanum.*

Nora. *Phrygiæ castellum ignobile.*

Numidæ. *Antea dicti Nomades, eò quòd plaustris circumferentes sua mapalia mutarent pabula, uti Tartarorum mos fuit. Numidia regio est Mauritaniæ contermina, cujus olim Rex Masinissa exhist. Rom. notissimus & oppidum Cirtha Jubæ & Syphacis regia. In eadem aliquando regnavit Jugurtha à Mario victus. Vid. Salustius.*

O.

Olympia. *Urbs Elidis ad Alphéum fl. ad quam quinto quoq; anno in honorem Jovis ludi habebantur dicti Gymnici. Victor vocabatur Olympionices. Olympias spacium quinq; aut, ut alii volunt, quatuor annorum.*

Olynthus. *Urbs Thraciæ, quanquam alii eam Macedoniæ attribuunt à Philippo Rege auro potius, quam ferro expugnatam, eversam.*

Orchomenus. *Oppidum Bœotiæ juxta Charonéam, cujus solum aliquando totum ferme à talpis eversum est.*

Padus.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn778716805/phys_0524
DFG

P.

Padus. *Qui & Eridanus, vulgò* der Po *in Vesulo monte altissimo ortus, triginta amplius fluminibus receptis, septem ostiis in mare defluit Adriaticum, princeps fluviorum Italiæ, dividens Galliam Togatam, quæ nunc est Lombardia, in Cisalpinam & Transalpinam.*

Paphlagonia. *Regio Galatiæ, Cappadociæ vicina, cujus populi erant Heneti, à quibus Venetos in Italia ortos esse, sunt, qui autumant.*

Parætheca. *Regio Mediæ, Plin. l. 6. Hist. nat. c. 26. Parathacenos collocat inter Parthos & Arianos.*

Paros. *Maris Ægei insula una ex Cycladibus, marmore nobilis.*

Peloponnesus, *i.e. Pelopis insula, quia Pelops Tantali filius, Atrei Pater in ea regnavit. Isthmo Corinthiaco Græciæ propriè dictæ adhæret & hæc Regna ejus sunt: Achaja, Elis, Messene, Laconica, Argia, Arcadia.*

Pergamus. *Oppidum Mysiæ maj. ad Cäicum fl. Galeni Medici patria & Regia Attali ejus, qui populum Romanum hæredem instituit, à quo omnia magnifica Attalica dicimus. Charta Pergamena hic inventa à loco nomen traxit.*

Perinthus. *Ad Propontidem in Thracia urbs maxima, postea Heraclea dicta, in qua fuisse perhibent ex uno marmore Amphitheatrum, quod septem mundi Miraculis à nonnullis additum.*

Persia. *Asiæ Regnum opulentissimum, cujus hodie Reges Sophi dicuntur. Persæ molles & luxuriosi, Turcis inimicissimi suum colentes Haly Prophetam.*

Phaleréus. *Portus Athenienſium.*

Pharæ. *Harum incerta positio, legunt alii Patra, quæ Achajæ urbs maritim. alii Pheræ, quæ urbs Thessaliæ, vid. Plin. l. 4. c. 12. Alias Pharus est insula adjacens Alexandriæ, in qva turris erat ingens itidem Pharus dicta, ex qva nocturni ignes lucebant navigantibus, unde similes turres, qvi lumen præbent navigantibus, Phari dicuntur. Pharia verò insula est maris Adriatici.*

Pheræ. *Urbs Thessaliæ crudelissimi tyranni Alexandri sedes ab ea dicti Pherai.*

Phœnice. *Syriæ regio à sacris scriptoribus divisa in Galilæam Inferiorem & Superiorem, seu Gentium. Olim ejus caput:*

Prima ratem ventis credere docta Tyrus,
parens Carthaginis, potens maris domina, fama
ab hac proxima Sidon.

Phrygia. *Asiæ minoris regio duplex erat, Major, cujus caput Gordium Midæ regia, unde nodus Gordius dictus Alexandri gladio scissus. Minor, cujus caput Ilium excidio clarum. Phryges habiti sunt scelesti & contumaces, hinc proverbio dictum: Phryx non nisi plagis corrigitur.*

Phyle. *Castellum Atticæ præsidiis semper firmatum à græco φυλάσσω, custodio, sic dictum.*

Pisidæ. *Pisidia regio Asiæ min. cujus pars ad Galatiam pertinet, pars ad Pamphyliam.*

Platææ. *Bœotiæ urbs juxta montem Citharonem ad Asopum Fl.*

Pœcile. *Nobilis Athenis porticus à variis picturis sic dicta, ποικίλος, varius. In ea docuit Stoicorum Princeps Zeno.*

Poeni,

Poeni. *Phœniciam coluere & cum Didone in Africam demigrarunt & Carthaginem condiderunt subleſtæ homines fidei & fœdifragi, hinc Punica fides dicitur perfidia.*

Pontus. *Regio Aſiæ inter Bithyniam & Galatiam ad Pontum Euxinum herbis venenoſis abundans, Pruſia Rege nobilis.*

Propontis. *Mare medium inter Helleſpontum & Boſphorum Thracium, ita dictum quod ex mari Ægeo in Pontum Euxinum naviganti per illud tranſeundum eſt.*

Pydna. *Urbs Pieriæ, quæ regio eſt Macedoniæ, in litore Sinus Thermaici ſita, in qua à Caſſandro occiſa eſt Olympias mater Alexandri M.*

Pyrenæi. *Montes altiſſimi medii inter Hiſpaniam & Galliam ſic dicti vel à Pyrene puella ab Hercule hic compreſſa, vel ab ignibus, quod fulminibus frequenter feriantur, vel quod à Paſtoribus incenſi aliquando arſerint.*

Q.

Qvirinalis mons. *Collis Romæ ſeptimus, in quo Qvirini fuit Templum: Romulum enim Deorum numero adſcriptum Superſtitio Qvirinum dixit.*

R.

Rhodanus. *Galliæ Narbonenſis Fl. in Alpibus ortus tanſit per Lacum Lemanum, inter tres Europæ fluvios maximos computatus Lugdunum vulgò Lyon præterfluit & Ararim pigram ſecum trahens in mare mediterraneum ſeſe exonerat.*

Rho-

Rhodus. *Insula maris mediterranei objacens litoribus Doridis & Lyciæ, princeps urbs Rhodus Sapientiæ olim & Eloquentiæ studiis clarissima. In ea erat Colossus Solis stupendæ magnitudinis, à quo incolæ dicti Colossenses. Eam olim tenuere Equites Joannitæ, quibus à Solymanno Turcarum Sultano Anno 1532. pulsis à Carolo V. Melita concessa est, quam etiamnum tenent, Turcis infensi maximè & invisi.*

Roma. *Ut Latii, ita orbis universi Caput ad Tiberim Fl. sita septem montes complexa est, ob id Arx septicollis à Prudentio dicitur, dicta vel ab Hebræo* רוֹם *altitudo, vel à græca* ῥώμη *robur, vel à Romulo conditore, ut ajunt, vel à germanico* Rhum. *Martialis de ea:*

Terrarum Dea gentiumq; Roma.

Vid. Lipsi. de magnit. Romæ & Antiqq. Rom. Ambitus ejus fuisse perhibetur quinq; milliar. germanicorum. Papæ hodie sedes illustris Mole Adriani, Arce munitissima, Basilica D. Petri & Templo Mariæ rotundæ, olim Pantheon dicto.

S.

Sabini. *Populi veteris Latii inter Narem & Anienem fl. Eorum oppidum Cures & Princeps T. Tatius cum Romulo se conjunxit & ab his Curibus Romanos putant appellatos Quirites.*

Saguntus *vel* Saguntum. *Urbs Hispaniæ haut longè dissita à Valentia, contra leges fœderis expugnata ab Hannibale fidem præstitit Romanis ultimam perpessa famem, hinc celebratur Saguntina & fides & fames.*

Salamis. *Insula in Sinu Sarônico clara Rege Telamone,*

mone, Patre Ajacis & Teucri, qui exul patria aliam in Cypro Salamina condidit. Vid. Horat. od. 7. l. 1. Carm.

Samothracia. *Insula maris Ægei, Imbro vicina ad oram Thraciæ, commune Supplicum Asylum, reis omnibus patebat, præterquam homicidis. Huc Perseus Macedoniæ Rex à Paulo Æmylio victus confugit.*

Samus. *Una de Sporadibus Insulis sic dictis, quod per Ægeum mare quasi sparsæ & disseminatæ essent, è regione Ephesi sita. Ea prima vasa fictilia dedit. Literati Sami per ignominiam dicuntur, ut Plauto servus literatus est ob maleficium stigmate notatus.*

Sardes. *Urbs Lydiæ Tmolo montì vicina, Cræsi divitis quondam Regia.*

Sardinia. *Insula maris mediterranei fœcunda, at pestilens. Urbis Romanæ cum Sicilia nutrix. A soleæ similitudine & Sandaliotis Ichnusa appellata, lupos & serpentes nescit, herbam habet Sardoniam, quæ comesta ridentes quasi interimit, unde risus Sardonius dictus. Caput ejus est Caralis, Hispano subest.*

Scyrus. *Insula maris Ægei Eubœæ vicina, in qua Thetidis matris jussu aliquandin Achilles puellari indutus habitu latuisse dicitur.*

Scythia. *nunc Tartaria major, Asiæ regio vastissima versus Septentrionem ab Imao monte divisa in Scythiam intra & extra Imaum. Scythæ plaustris pro domibus utebantur ἀμαξόβιοι, pugnaces aliàs & bellicosi, Tartari certè horrendi & crudeles de quibus Poëta:*

— — — *vultibus ipsis*
Infantum suus horror inest.

Sena. *Umbræ urbs ad Metaurum fl. Sena gallica appellata à Senonibus Gallis, qui Romam aliquando vastârunt. Sena autem, nunc Siene Thusciæ urbs Academia nobilis, patria hodierni Pontificis.*

Sestus. *Urbs in Chersoneso Thraciæ adjacens Hellesponto, cui in littore Asiæ opponitur Abydus, utrâq; amoribus Erus & Leandri clara.*

Sicilia. *Italiæ olim annexa, pòst marino fluctu avulsa, ut memorat Virgil. l. 3. insula est in mari mediterraneo maxima. Sicania à Sicanis incolis dicta & Trinacria à tribus Promontoriis, quæ sunt Pelorum, Pachynum, Lilybæum, mons in ea est ignivomus Ætna, nunc monte Gibello. Ovid. l. 4. Fastor.*

Terra tribus scopulis vastis procurrit in æquor,
Trinacris à positu nomen adepta loci.

Sigæum. *Oppidum & promontorium Phrygiæ minoris non longè ab Ilio, ubi græcarum navium, statio fuit & sepulchrum Achillis.*

Sparta *vel* Lacedæmon. *Princeps Urbs in Laconica, quæ regio est Peloponnesi Taygeto monte & Eurota Fl. celebris. Lacones Lycurgi legibus instituti viri fuere fortes, periculi & laboris patientes, mortis contemtores, unde Diogenes, cum Sparta Athenas rediret, à viris ad fœminas redire se ajebat, hinc & vulgò dictum: Solas Lacænas viros parere.*

Strymon. *Fluvius Macedoniæ, hanc & Thraciam disterminans, ab eo Poëtis grues strymoniæ dicuntur.*

Syra-

Syracusæ *Urbs olim totius Siciliæ prtmaria, & ex quatuor qs. urbibus constata, quæ fuerunt Acradina, Tycha, Neapolis, Insula hinc quadruplices dicta Syracusæ, Ambitus fuit stadiorum 180. patria Theocriti & Epicharmi hod. Saragosa vocatur & pristini splendoris vix umbram habet.*

Syria *olim & Assyriam & Mesopotamiam complexa, postea his Regnis avulsis fines fuere Amanus mons Ciliciæ, Euphrates, Arabia: divisaq; est in Palæstinam, Phœnicen, Antiochenen, Comagenen & Cœlen.*

T.

Tænarum *Promontorium Laconicæ cum oppido ejusdem nominis & Templo Neptuni. Per fauces Tænarias ad inferos descendi & Orpheum per easdem Eurydicen suam repetitum, Herculem item & Theseum descendisse fabulantur Poetæ.*

Tarentum *Urbs Calabriæ in ipso angulo sinus Tarentini à Lacedæmoniis Duce Phalantho condita ab Horatio propter luxum dicitur molle Tarentum. Armis virisq; potens accersito in Italiam Pyrrho, Epiri Rege, ipsis Romanis bellum fecit.*

Taurus. *Mons totius orbis maximus qui à Pamphylio mari ad Scythiæ usq; & Indiæ fines sub diversis nominibus protenditur, à quo Asiæ pars septentrionalis Asia Taurum & meridionalis Asia extra Taurum dicitur. Tres sunt montes primarii; Alpes in Europa, Taurus in Asia, Atlas in Africa, quorum Ramenta quasi sunt reliqui montes.*

Thasus *Insula maris Ægei adjacens Thraciæ inter ostia Strymonis & Hebri, vitium ferax, unde vitis Poetis Thasia.*

Thebæ *à septem portis ἑπτάπυλοι Bœotiæ Urbs princeps à Cadmo, uti ferunt, condita, Pindari, quam Bacchi natalibus clarior, Plinius in ea hirundines negat nidificasse, uti Athenis visas esse cornices. Aliæ fuere Thebæ in Ægypto & altæ in Lucania Italiæ regione.*

Themeontici *oppidum vel castellum ignobile Thraciæ.*

Thessalia *regio nobilissima, media inter Macedoniam & Græciam. Equites Thessali olim clarissimi. In ea Peneus fl. & iuxta hunc Tempe amœnissima.*

Thermopylæ *angustæ fauces Oetæ montis, qui Thessaliam à Græcia dividit, sic dicta ab aquis calidis, θερμὸς calidus, πύλη, porta.*

Thra-

Thracia *vel Thrace bello furiosa Horat. od. 16. l. 3. Carm.*
ab asperitate soli sic dicta, τραχὺς asper, ultima Orientem versus Europæ regio, cuius caput Constantinopolis nunc, Romina Orientis. Vid. Byzantium.

Thrasimenus Lacus *lacus Perusiæ, quæ Etruriæ urbs est, vicinus Romanorum clade & Hannibalis victoria nobilis.*

Thurini. *Thurium oppidum Magnæ Græciæ ad sinum Tarentinum, græca Colonia olim Sybaris dicta luxu infamis.*

Timoleonteum *locus Syracusis porticu clausus, in quo palæstræ iuventus operam dabat à Timoleontis sepulchro sic dict.*

Trebia *Galliæ Cispadanæ fluvius in Padum influens Romana clade memorabilis.*

Troas *seu Phrygia minor regio Asiæ minoris. Metropolis Troia vel Ilium.*

Trœzen *Argiæ Urbs in Peloponneso, sinui Saronio adiacens é regione Athenarum.*

Troja *& regionis & Urbis nomen, ob Helenæ raptum à Græcis illa Duce Agamemnone oppugnata & post solidum decennium expugnata, eversa. Ita Poeta, quorum fabulas refutat Dion Chrysostomus in Orat. de Ilio non capto.*

Tusculum *oppidum Latii haut longè ab Albano monte, in cuius agro fuit Ciceronis prædium Tusculanum.*

V.

Venusia *Apuliæ Oppidum ad Ausidum fl. Horatii patria.*

Vertones *Hispaniæ populi bellaces, quorum metropolis Augusta Emerita fuit, nunc Merida ad Anam fl.*

Vtica *Urbs Africæ min. haut longè ab ortu Bagradæ fl. ad quæ Regulus inusitatæ magnitudinis serpentẽ interfecit. Caro in hac Urbe violentas sibi manus attulit ob id dictus Uticensis.*

Z.

Zacynthus *nunc Zante Ionii maris insula Peloponnesio lateri opposita, vicina Cephaloniæ & Ithacæ, silvis abundans à Virgilio appellata nemorosa Zacynthus.*

Zama *oppidum Africæ quinque dierum spatio distitum à Carthagine.*

Errata, si qvà irrepserint, ea intelligens & æqvus Lector benevola lingva manuq; ut corrigat, magnoperè rogamus.

FINIS.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn778716805/phys_0532
DFG


Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn778716805/phys_0534
DFG



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn778716805/phys_0535
DFG


Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn778716805/phys_0536
DFG

Syracusæ. *Urbs olim totius Siciliæ*
qs. urbibus constata, quæ fuerunt
polis, Insula hinc quadruplices
fuit stadiorum 180. patria Theo
Saragosa vocatur & pristini splen
Syria *olim & Assyriam & Mesopot*
his Regnis avulsis fines fuere An
phrates, Arabia: divisaq; est in Pa
tiochenen, Comagenen & Cœlen,

T.

Tænarum *Promontorium Laconicæ*
minis & Templo Neptuni. Per fa
descendi & Orpheum per easdem
tum, Herculem item & Theseum
Poetæ.
Tarentum *Urbs Calabriæ in ipso a*
cedamoniis Duce Phalantho condi
xum dicitur molle Tarentum. Ar
in Italiam Pyrrho, Epiri Rege, i
Taurus. *Mons totius orbis maxim*
ad Scythiæ usq; & Indiæ fines sub
tenditur, à quo Asiæ pars septent
meridionalis Asia extra Taurum
tes primarii; Alpes in Europa,
Africa; quorum Ramenta quasi
Thasus *Insula maris Ægei adj*
Strymonis & Hebri, vitium fera
Thabæ *à septem portis ex*
princeps à Cadmo, uti ferunt, co
chi natalibus clarior, Plinius in
casse, uti Athenis visas esse corn
Ægypto & aliæ in Lucania Ital
Themeontici *oppidum vel castell*
Thessalia *regio nobilissima, me*
Græciam. Equites Thessali olim
& iuxta hunc Tempe amœnissim
Thermopylæ *angustæ fauces Oet*
Græcia dividit, sic dicta a
calidus, ἡ πύλη, porta.